

# PALAEASTRA

## LATINA



ANN XXXIV (Fasc. I) — N. 185  
M. MARTIO — A. MCMLXIV

# PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**Lauria, 5 - Apartado 1042 - BARCELONA (10)**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatores: Ondes, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francs; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRÆ ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'5 francs in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXXIV (Fasc. I) N. 185

M. MARTIO A. MCMLXIV

A. GRISART, <i>Vocabulorum collocatio quantum ad brevitatem et subtilitatem linguae latinae proficiat</i> . . . . .	233
A. PAGANO, <i>De Josephi Famiglietti carmine quod «In Pii IX Pontificis Maximi ab Urbe abitum et Cajetam adventum» incribitur</i> . . . . .	243
J. AMBROSI, <i>Iter Dantis in Deum: Infernum - Francisca et Paulus - Pharinata</i> . . . . .	248
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: Iter tramine feci</i> . . . . .	253
J. ARAMENDÍA, C. M. F., <i>Per Orbem</i> . . . . .	263
J. FÁBREGAS, <i>Notulae de Conventu Argentoratensi</i> . . . . .	265
J. M. MIR - CAELESTIS EICHENSEER: <i>Epistularum inter socios commercium</i> . . . . .	267
BIBLIOGRAPHIA, I. González, Philoponus, A. Marqués, J. Aramendía	270
PALAESTRÆ ADULESCENTIUM	
<i>Paedagogus, De exercitatione corporis</i> . . . . .	281
A. López, <i>Tres dicuntur latrones</i> . . . . .	282
R. Sarmiento, <i>Gavia et equus bipes</i> . . . . .	283
H. Cambra, <i>Duo Arcades Megaram veniunt. — Jocosa. — Triangulus magicus. — Alumni epistulas inter se dant</i> . . . . .	284
N. Mangeot, <i>Suum pro me sanguine fudit</i> . . . . .	285
S. Moto, <i>De Psittaco. — Scalae sublimes</i> . . . . .	286
<i>Paedagogus, Miscentes utile dulci: Alienae laudis aut virtutis aemuli. — Solutiones</i> . . . . .	287
Si sapi..., sis apis. — S. F. Jack, <i>Num quis linguam latinam amat?</i> . . . . .	288

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIV (FASC. I) — N. 185

M. JANUARIO

A. MCMLXIV

## Vocabulorum collocatio

### quantum ad brevitatem et subtilitatem linguae latinae proficiat \*

Mihi in animo est summatis dicere quare et quomodo in lingua latina vocabulorum collocatio vel ordo orationem breviorem et subtiliorem efficiat; id autem interest non solum ad convertendos scriptores latinos in linguas hodiernas, sed etiam ad componendos lingua latina libros vel libellos vel commentarios libris periodicis insertos.

In linguis hodiernis omnia munera grammaticalia quibus vocabula vel in enuntiatione vel in sententia vel in circuitu funguntur duebus modis indicantur, id est sejunctis vocabulis quibusdam et praecipue vocabulorum collocatione; in antiquis autem linguis praesertim in latina et graeca vocabulorum munera grammaticalia maxime ipsorum vocabulorum terminationibus signantur, quibus casus, personae, numeri, tempora, modi notantur: itaque in his linguis vocabulorum collocatione uti licet ad significandum non iam quibus muneribus vocabula fungantur, sed quantum valeat unumquodque vocabulum in sua enuntiatione, id est qualiter dignitatis gradum singula vocabula inter se obtineant.

Ex ea re consequuntur duae praecipuae virtutes linguae latinae: primo brevitas, deinde subtilitas. Nam primo linguis antiquis non ea vocabula opus sunt quae in linguis hodiernis omnino necessaria sunt, alia ad vocabulorum munera grammaticalia signanda, alia ad dignitatis gradus notandos: itaque linguae latinae et graecae pauciora adhibenda sunt vocabula: deinde cogitationum discrimina vel differentiae sic melius distinguuntur, non solum quia totius circuitus structura aptius et strictius cum ipsarum cogitationum architectura cohaeret, sed etiam quia vocabula collecandi ratio scriptoris unitusque proprium scribendi genus optime exprimit.

\* Quam dissertationem Prof. A. Grisart, in Congressu Internationali linguae latinae vivae reddendae Argentorati die 2 m. septembris, anno 1963 habito, legit earumque nobis benevolè misit.

In hoc saeculo viri doctissimi nonnullos libros ediderunt qui proprie de vocabulorum collocatione disserunt; illi autem libri, etiamsi leguntur a doctissimis eorum collegis, minime tamen re vera ab iis adhiberi videntur quorum id maxime interesse deberet, id est ab iis *interpretibus* qui scriptores latinos in linguis hodiernas convertunt: nam recentissimae et optimae ex latino conversiones, sive doctissimae sive elegantissimae sunt, sive ex prosa oratione sive ex versibus latinis convertunt, etiam cum auctores ipsi profitentur se verbum pro verbo reddere voluisse, vocabulorum latinorum ordinem in conversionibus suis paene omnino neglegunt, videlicet quia eleganter potius quam subtiliter convertere iis curae est.

Ego autem, qui veritati potius quam arti studeo, per multos annos vocabula collocandi rationem et habere et reddere in iis conversionibus conatus sum quas ipse feci non eo consilio ut eas publicarem, sed ut discipulos meos de linguis antiquis quam optime edocerem; atqui hi discipuli, quotienscumque linguae latinae vel graecae vocabulorum ordinem in lingua gallica quam maxime servaverunt, totiens id assecuti sunt ut converterent non solum facilius et fidelius quam ipsi antea converterant, sed etiam meo quidem judicio brevius et subtilius quam ii interpretes qui hodie optimi ducuntur.

Attamen hi discipuli non doctorum virorum libros vel libellos de vocabulorum collocatione umquam legerunt; unum eos monui quod non solum in latina sed etiam in graeca lingua ab omnibus facile animadvertis potest, sed non solet. Nam apud graecos latinosque aureae quidem aetatis scriptores, quotienscumque sola ratione oratio derigitur neque ullo animi affectu vel libidinis impetu turbatur, vocabulorum collocatio una lege continetur, quae sic exprimi potest: *id quod pendet locatur ante id a quo pendet*: ea lex gallice sic dicitur: «le complément se place devant le complété», vel «le déterminant précède le déterminé<sup>1</sup>». Is ordo vel *rectus* vel *grammaticalis* vel *logicus* vel *rationalis* appellari potest; haec autem linguae graecae et latinae lex universa ei legi omnino contraria est quae in linguis hodiernis praesertim in romanicis vigere videtur, qua vocabulum ab alio vocabulo pendens postponitur.

Ita exempli gratia in lingua latina et graeca

A) Vocabulum a substantivo pendens praeponitur: sic

---

1. HUMBERT, *Syntaxe grecque*, 1954 2, 151, p. 95: «C'est une application de ce principe général qui remonte à l'indo-européen, d'après lequel le déterminant précède le déterminé, c'est-à-dire l'ordre inverse du nôtre.»; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*, 1953 2, 189, p. 162: «En général, le déterminant tend à précéder le déterminé». Inter graecum tamen et latinum intersunt differentiae quaedam, praesertim quia graeco sermoni adest «articulus», qui latino sermoni deest; articulus autem multum valet ad eum locum definitum quo omnis generis vocabula ponenda sunt.

1) primo *adjectiva* (et *participia*) *epitheta*<sup>2</sup> atque *adjectiva demonstrativa, interrogativa, relativa, numeralia cardinalia*: *pulchra domus, optata domus, haec domus, quae domus, duae domus*;

2) deinde *genetivi* fere omnes qui «*adnominales*» vocari solent, praesertim *genetivus subjectivus, objectivus, possessivus*: *belli initium, praedae spes, Ciceronis domus, agri cultura, senatus consultum, plebis scitum*<sup>3</sup>;

B) item vocabulum *ab adjectivo vel participio adverbio pendens praecedit: minit infestus, tibi invisus, illi conveniens, satis magnus, nimis diu*;

C) item vocabulum *a verbo pendens ei verbo praeponitur: illum vidi, id et eo loco eo tempore dixi; satis facere, bene volens, male dicens*<sup>4</sup>; ea autem demum sola est causa cur verbum *in fine enuntiationis suaे ponatur: nihil enim interest utrum casus nominativus an obliquus adhibeatur, nihil utrum objectum an circumstantiae exprimantur, nihil utrum enuntiatio non pendens et unica sit an primaria (vel principalis vel regens) aut secundaria (vel pendens)*<sup>5</sup>;

D) item id quod vel *subjecto* vel *objecto* per *verbum copulativum attribuitur* (id linguis romanicis *attributus* nominatur<sup>6</sup>, germanicis autem *prädikat*) *ante verbum* quidem copulativum locatur, sed *post subjectum vel objectum cui attribuitur: is bonus dicitur, eum bonum dicunt*.

Ergo apud graecos latinosque aureae aetatis scriptores ordo rectus vel grammaticalis, id est simpliciter rationalis vel logicus, ita se habet: primo loco *conjunctiones* vel *coordinativae* vel *subordinativae* atque *pronomina et adjectiva relativa et interrogativa*, quibus *enuntiationes, sententiae, circuitus introducuntur vel inter se colligantur*<sup>7</sup>; secundo loco *subjectum*; tertio loco *attributum (sive praedicatum) vel objectum vel circumstantiae*; quarto loco *verbum*.

Haec est lex universa; *exceptiones vero flunt nonnullae, quas viri doctissimi collegerunt; sed earum ego paucas tantum hic indico, quae frequentissime adhibentur et facilime ipsarum natura explicantur. Etenim*

2. *Epitheton*, quod gallice «*qualificatif*», germanice autem «*attributus*» plerumque vocatur, per *verbum copulativum* neque nomine substantivo colligatur neque ab eo nomine *sejungitur*; *epitheton* autem plerumque *subjective pingit* aut *judicat sive laudat sive vituperat*; sed de hac re vide *infra*.

3. Hae tres ultimae locutiones plerumque uno vocabulo scribuntur: ita hoc *vocabulum primitivam collocationem servat*.

4. Vide notam tertiam.

5. Ipse Quintilianus in *Institutione oratoria*, 9, 4, 26, scribit: «*Verbo sensum claudere multo, si compositio patiatur, optimum est*».

6. Inde etiam in his linguis id discriminē fieri solet: «*position attributive*» (ubi «*attributum a subjecto per verbum copulativum sejungitur*) et «*position specificative*» (ubi *adjectivum vel participium prope substantivum adponit*ur vel ante vel post, sed ab eo per *verbum copulativum non sejungitur*: id graeci et latini *epitheton* vocant, galli «*qualificatif*»).

7. Secundo tamen loco *ponendae sunt particulae quaedam (autem, quidem, enim)*, sicut in lingua antiquissima omnes *conjunctiones et relativa solebant*.

A) *vocabulum a substantivo pendens interdum sequitur: sic*

1) primo *adjectiva* (vel *participia*) *epitheta* cum non *subjective* pingunt aut judicant, sed *objective* substantiva quaedam ab aliis substantivis *distinguunt* vel *secernunt*; talia gallice «*discriminatifs*» doctissimi quidam grammatici et rhetores hodierni vocant, latine autem ego libenter appellaverim *discretiva* vel *distinctiva*<sup>8</sup>: *res publica*, *res privata*, *homo patricius*, *homo plebejus*, *praetor urbanus*, *praetor peregrinus* *pontifex maximus*, *populus romanus*, *ager gallicus*, *consul designatus*, *patres conscripti*; cum his *adjectivis* vel *participiis* epithetis *discretivis* vel *distinctivis* conjungenda sunt *adjectiva possessiva* et *numeralia ordinalia*, quia eodem modo *distinguunt* vel *secernunt*: *pater meus*, ab hora *tertia*;

2) deinde *genetivus* in quibusdam locis ubi idem valet atque *adjectivum discretivum* vel *distinctivum*: *sic*

a) *in locutionibus antiquissimis*: *tribunus militum* (id est *tribunus militaris*), *tribunus plebis* (id est *tribunus plebejus*), *magister equitum*, *magister fabrum*, *mos majorum*, *pater familias*, *pater patriae*, *orbis terrarum*<sup>9</sup>;

b) item *genetivus explicativus* et *genetivus partitivus*: *nomen virtutis*, *verbum carenti*, *subsidia Afrorum*; *multitudo malorum*, *pars militum*, *milia passuum*, *copia frumenti*<sup>10</sup>;

c) item *genetivus quantitatis* et *genetivus et ablatus qualitatis*: *fossa sex pedum*; *vir maximi animi*, *femina extima pulchritudine*<sup>11</sup>;

---

8. Huic *discrimini* id proximum est quod gallice dicitur cum opponuntur *hae locutiones*: «*adjectifs qualificatifs*» et «*adjectifs déterminatifs*» (pronominaux); de eo autem *discrimine* in lingua gallica nihil interest ad eum locum definitendum quo ea diversa *adjectiva* vel *participia* ponenda sunt, sed tantum ad genera distinguenda: *adjectiva nominalia* et *verbalia*, *adjectiva pronominalia*.

9. *Hae locutiones* eo tempore compositae sunt quo nondum fixus *vocabulorum* ordo erat: praeterea *vocabulis* duobus *sensus* unus saepe exprimitur atque etiam uno verbo scribitur, ut *paterfamilias* (jam ante vidimus ordine recto «*plebiscitum*», quod non eodem ordine *compositum* est ac «*tribunus plebis*»); item «*terrae motus*» locutioni «*orbis terrarum*» opponi potest.

10. Uterque *genetivus*, quod quidem ad sensum attinet, cum nomine suo *minus stricte cohaerere* videtur quam ceteri *genetivi* solent; sic *genetivus explicativus* in lingua gallica alio munere grammaticaliter fungitur, quod «*apposé*» vocatur; *nomen virtutis* = le mot vertu; *verbum carenti* = le verbe «*carere*»; *subsidia Afrorum* = les réserves constituées par les Africains; *genetivus autem partitivus* etiam alio modo latine exprimi potest, qui circumstantiis proximus esse videtur et ideo *minus stricte* cum nomine suo cohaerere: *pauci de nostris*, *unus inter milites*, *unus de (e) multis*; praeterea in graeca quoque lingua *genetivus partitivus* extra eam locutionem ponit solet quae articulo et nomine *composita* est, non *intra*, ut ceteri *genetivi* solent.

11. «*Vir maximi animi*» idem valet ac «*vir maxime strenuus*», «*femina extima pulchritudine*» idem ac «*femina extimie pulchra*»; praeterea *genetivus quantitatis* et *genetivus vel ablatus qualitatis* plerumque *longiores* sunt quam *vocabulum a quo pendent*; id autem multum valet ad *vocabulorum collocationem*, ut *infra* dicemus.

B) item vocabulum *ab abjectivo vel participio vel adverbio pendens interdum sequitur*, probabiliter quia haec vel praepositionibus vel circumstantiis similia videntur: *conveniens naturae, convenienter naturae* (id est secundum *naturam*), *indignae homine docto voluptates*<sup>12</sup>;

C) item vocabuluni *a verbo pendens interdum ei verbo postponitur; verbum etiam interdum non in fine, sed initio enuntiationis locatur, praesertim*

1) primo in enuntiatione vel unica vel primaria (sive principali), si id verbum modo *imperativo* adhibetur vel modo *conjunctivo*, sed cum sensu modi *imperativi*, quia in talibus modis actio plus valet quam objectum et circumsstantiae: *sequere me, dic mihi, eamus intro, di faciant bene, quae res vertat male*;

2) deinde in enuntiatione secundaria, id est pendente, vel etiam in primaria, id est principali, si verbum modo *conjunctivo* adhibetur. sed cum sensu *concessivo* vel *suppositivo* (gallice «en admettant que, en supposant que, admettons que, supposons que»), sive particula *ut* adhibetur sive non adhibetur: nam *sensus concessivus sensui impetrativo proximus est*; praeterea ea sola ratio est qua earum enuntiationum *natura et sensus agnoscit et a sensu aliorum conjunctivorum discerni possunt: sit ita («admettons, en admettant qu'il en soit ainsi»); fuerit ita (admettons qu'il en ait été ainsi»); malus civis... Carbo fuit? Fuerit alitis, sed tibi quando esse coepit?* (Cic., Verr., 2, 1, 14, 37). Ut *desint vires*, tamen voluntas laudanda est;

3) item in locutionibus quibusdam: sic cum «est» vel «sunt» gallice significat «il y a, il existe» vel cum «visum est» idem valet ac «decretum est».

4) denique cum vocabulum pendens *longius est quam vocabulum a quo pendet*; id autem ad euphoniam vel rhythmum multum interest: *di immortales, casu incredibili, virtus digna summo imperatore*.

Attamen, p̄aēter eas exceptiones aliasque quas hic omitto, ea lex universa ferri potest, sicut supra diximus: cum cogitationum ordo rectus est, id est simpliciter rationalis vel logicus, id quod pendet locatur ante id a quo pendet. Ex ea autem lege *haec alia lex consequitur*, magna quidem, sed ab interpretibus nimis contempta: *si quod vocabulum de suo loco movetur, ea ipsa re id vocabulum eminentiorem in sua enuntiatione occupat locum et ita maiorem obtinet dignitatis gradum et magis conspicuus fit; gravorem ergo assequitur vim et expressior atque significantior fit, quia propter vocabulorum collocationem cum *emphasi* quadam adhibetur; id autem evenit praecepue cum animi affectus vel libidinis impetus et cogitationum et ideo enuntiationum naturalem motum perturbat*<sup>13</sup>: itaque is ordo vel oratorius vel potius patheticus vel emphaticus appellari potest.

12. Praecipue cum vocabula pendentia longiora sunt.

13. *Initium et finis enuntiationis vel sententiae vel circuitus loca aprissima esse videntur*.

In linguis hodiernis vocabulum *idiotismis* quibusdam magis conspicuum fit, sic exempli gratia in lingua gallica vocabula quaedam *adduntur* vel ante vel post vel intra: «[il] est venu, lui; [c'est] lui [qui] est venu; je [l'] ai vu, lui; [c'est] lui [que] j'ai vu; je [le lui] ai dit, cela, à lui, à cet endroit, à ce moment; je [lui en] ai promis une grande, à lui, [de] somme d'argent». <sup>14</sup> In antiquis autem sermonibus vocabula duobus praecipue modis conspicua flunt, id est vel *inversione* vel *disjunctione*: *venit ille*, *vidi illum*, *dixi id ei eo loco eo tempore magnam* pollicitus sum ei pecuniam.

Itaque omnia quae adhuc dixi ea nova lege plane everti videntur. Repe-tamus igitur ea exempla quibus jam usi sumus et scribamus ex alio ordine.

#### Primo inversione:

##### A) id quod a substantivo pendet: sic

1) primo adjectiva (vel participia) *epitheta, demonstrativa, numeralia cardinalia*: *pulchra domus* dicitur latine ordine recto, gallice «une belle maison»; *domus pulchra* autem est *domus que pulchra est* vel *esse possit* vel *cum pulchra est* vel *si pulchra est* vel *quia pulchra est* vel *quamquam pulchra est*; *haec domus* = «cette maison-ci»; *domus haec* = «la maison que voici»; *duae domus* = «deux maisons»; *domus duae* = «des maisons [au nombre] de deux»; *ille vir* = «cet homme-là»; *vir ille* = «cet homme fameux»; *dulces voluptates* = «de doux plaisirs»; *aqua dulcis* = «de l'eau douce (non salée)»;

2) deinde *genetivi* fere omnes qui *adnominales* vocari solent: *belli initium* = «le début de la guerre»; *initium bellum* = «[son] début, à la guerre»; *praedae spes* = «l'espoir du butin»; *spes praedae* = «un espoir, [celui] du butin»; *Ciceronis domus* = «la maison de Cicéron»; *domus Ciceronis* = «une maison, [celle] de Cicéron, [sa] maison, à Cicéron»;

B) item id quod ab *adjectivo* vel *participio* vel *adverbio* pendet: *mthi invisus est* = «il m'est odieux»; *invisus mthi est* = «il [m'] est odieux, à moi»; *satis magnus est* = «il est assez grand»; *magnus satis est* = «il est grand à suffisance» <sup>15</sup>; *nimis diu* = «trop longtemps»; *diu nimis* = «long-temps, [bien] trop [longtemps]»;

C) item id quod a *verbo* pendet: *illum vidi* = «je l'ai vu»; *vidi illum* = «je [l'] ai vu, lui» <sup>16</sup>; *illi licet* = «cela lui est permis (possible)»; *licet illi* = «cela [lui] est permis, à lui»; *patientia nostra abuteris* = «tu abuses de notre patience»; *abuteris patientia nostra* = «tu [en] abuses, de notre patience»;

tur ad maiorem vim vocabulis dandam: nam tibi silentium quoddam vocis fieri solet; tamen non id quod vel initio vel in fine collocatur ipso facto magis conspicuum fit, sed id quod non suo loco stat: itaque vel initio vel in fine id tantum magis conspicuum fit quod non his locis in recto ordine esset.

14. Uncis id inclusi quod latine non verbis exprimitur, sed inversione.

15. Et tibi magna satis, dicit Meliboeus agricola (VERG., Buc., 1, 47): Item dialecto galli-co leodiensi apud rusticos: «est grand assez».

16. Cf. VERG., Buc., 1, 42: *illum vidi juvenem* = je l'ai vu, ce jeune homme, ...

*Cicero Demosthenis vim effinxisse mihi videtur* = «Cicéron me paraît avoir reproduit la vigueur de Démosthène»; *mihi videtur Cicero effinxisse vim Demosthenis* = «[il] me semble [bien, lui], Cicéron, [l'] avoir reproduite, [sa] vigueur, à Démosthène»;

D) item id quod vel *subjecto* vel *objecto* per *verbum copulativum* *attribuitur*: *is bonus* dicitur, *eum bonum* dicunt = «on le dit honnête»; *bonus is* dicitur, *bonum eum* dicunt = «[c'est] honnête [qu'] on le dit»; *Metellus egregius consul est* = «Métellus est un excellent consul»; *Metellus est egregius consul* (Cic., *Ad Att.*, 20, 5) = «Métellus [l'] est, excellent consul»; *Metellus est consul egregius* (Cic., *Ad Att.*, 18, 5) = «Métellus [l'] est, [comme] consul, excellent».

Si nunc ad *exceptiones* spectamus quas nominavimus, id miramur: ordo ille inversus, quo sensus exprimitur rectus, cum rursus invertitur, *primum vocabulum eminentius* facit: sic

1) *adjectiva epitheta discretiva*: *equitatus romanus*, *acies romana* dicitur secundum normam; sed, cum *is equitatus romanus* vel *acies romana* alteri opponitur, vocabulorum ordo mutatur, sicut apud Livium saepe fit: 22, 46, 1, *gallos hispanosque equites adversus romanum equitatum*<sup>17</sup>; et paulo infra, 22, 46, 4, *Afros romanam crederes aciem* = «les Africains, on aurait pu croire [que c'en était] une romaine, [de] ligne de bataille»<sup>18</sup>; item in *adjectivis possessivis*: *pater meus* = «mon père»; *meus pater* = «[mon] père, à moi, le mien, [de] père, mon [cher] père»;

2) item *verbum modo imperativo* adhibitum, ut supra diximus, secundum normam *primum enuntiationis* locum occupat; sed, etiam in talibus enuntiationibus, si non verbum, sed aliud quodquam vocabulum *initio enuntiationis* locatur, majorem vim acquirit id vocabulum quam ipsum verbum: *sequere me* = «suis-moi»; *me sequere* = «[c'est] moi [que] tu dois suivre»; *dic mihi* = *dis-moi*; *mihi dic* = «[c'est] à moi [qu'] il faut dire»<sup>19</sup>;

item etiam verbum, si modo non *imperativo* sed *finito* adhibetur, secundum normam in fine enuntiationis locatur; sed interdum *initio* ponitur cum aliquid explicat: *semper bonus vixit* = «il a toujours vécu [en] honnête [homme]»; *vixit semper bonus* = «[c'est qu'] il [y] a vécu, sans cesse, [en] honnête [homme]»;

item etiam verbum, si cum uno tantum ex pluribus *subjectis* conjungitur (quod quidem ad genus et numerum attinet) tum non in fine enuntiationis

17. Paulo autem infra 22, 47, 1, Livius scribit: «Deinde equitum gallorum hispanorumque laevum cornu cum dextro romano concurrit»; item 22, 44, 5: *romana castra*; sed postea: 22, 45, 4, *castra romana*.

18. Hoc loco inversioni additur disjunctio.

19. In graeca quoque lingua, ut initio Iliadis: «[c'est] le ressentiment [qu'] il te faut chanter, divine, [celui] du fils de Pélee, Achille.

locatur, sed *prope* hoc subjectum: te pater *amat* et mater = «[il] t'aime [bien ton] père, et [ta] mère [aussi d'ailleurs] (ainsi que [ta] mère)»,<sup>20</sup>

item *adjectivum attributum* (sive *praedicatum*, ut Germani dicunt), si non secundum normam grammaticalem cum subjecto sed «*ad sensum*» conjungitur, tum plerumque praecedit: *varium et mutabile* semper / Femina (VERG., Aen., IV, 569) = «[chose] variable et susceptible de changer, sans cesse, [qu'] une femme»,<sup>21</sup>

item *quaelibet vocabula* quae quibuslibet muneribus grammaticalibus funguntur *initio* enuntiationis collocari possunt multis de causis, praesertim quia *titulorum* paene officio funguntur et argumentum indicant: id saepissime apud historicos, maxime apud Livium et Suetonium, evenit, quo narrationis vel descriptionis partes melius appareant<sup>22</sup>.

Deinde **disjunctione**, qua vocabula magis etiam quam inversione conspicua fiunt:

1) primo *adjectiva epitheta*: *pedestribus* valent *copitis* (CAES., B. G., 2, 17, 4) = «[c'est] par [celles] d'infanterie [qu'] ils ont de la valeur, [comme] troupes [len fait de] troupes»; *magnus vir ingenio* (CIC., Off., 2, 17, 59) = «un homme d'un talent [bien] grand (réellement) grand»; *bonus dormitat Homerus* (HORAT., A. P., 359) = «[tout] bon [qu'il est], il somnole [bien, lui], Homère»; *magna proponit eis qui occiderint praemia* (CAES., B. G., 5, 58, 4) = «[c'en sont de bien] grandes [qu'] il (César) [leur] propose, à ceux qui l'auront tué (Ambiorix), [comme] récompenses [len fait de] récompenses»; *infandum, regina, jubes renovare dolorem* (VERG., Aen., 2, 1) = «[c'en est une] indicible, Madame, [quel] vous m'invitez à renouveler, [comme] douleur [elle est] indicible, Madame, [celle que] vous m'invitez...»;

2) deinde *quaelibet vocabula* vel membra quae, ita disjuncta, fere sicut in *prolepsis* ponuntur: sed tamen *iste deus*, qui sit, da, Tityre, nobis (VERG., Buc., 1, 18) = «mais, au fait, celui dont tu parles, le dieu, comment est-il, faisons la faveur, Tityre, [de nous le dire]»; *ordo autem simpliciter rationalis hic esset: Tityre, da nobis qui iste deus sit*<sup>23</sup>.

In *definitionibus* autem vocabulorum collocatio ab his omnibus regulis

20. Re vera sunt hic duae enuntiationes, non una: *pater* primae enuntiationis subjectum unicum est, *mater* secundae, cuius verbum subauditur (te amat).

21. Si id judicium «sine ira et studio» diceretur, ordo hic esset: *femina semper varia et mutabilis* [est].

22. Sic Livius, 21, 4, 6, in Hannibal's descriptione: *caloris ac frigoris..., cibi potionis..., vigiliarum somniique...*

23. Quintilianus, 9, 4, 26, loco supra laudato (vide notam quintam), cum dixisset «verbo sensum claudere multo, si compositio patiatur, optimum est», hoc addit: «si id asperum erit, cedet haec ratio numeris»; boni tamen scriptores et poëtae vocabula ita disponunt ut semper etiam in clausulis et in versibus inversio vel disjunctione aliquod vocabulum in eminentiore dignitatis gradu ponat, etiam si unius numeris cedere rhetoribus videntur.

vel normis omnino abest et cum hodiernarum linguarum ordine plane congruit, quae analytiae sunt, quia in definitionibus unumquodque fere vocabulum conspicuum fieri solet: sic apud Ciceronem (*De divinat.*, 2, 5, 13): *divinationem esse :] earum rerum praesensionem quae essent fortuitae*<sup>24</sup>.

Postremo, ut de singulis vocabulis finem faciam, in quoque animadvertendum est: si *unum* vocabulum de suo loco movetur et ipsa re saltem duo vocabula de suo loco moventur et ita magis conspicua flunt: *venit ille = l* «c'est qu'il est venu, lui».

Non solum vocabula, sed etiam enuntiationes ipsae inversione et disjunctione majorem dignitatis gradum obtinet: *ut venires id dixi = «[c'est] pour te faire venir (pour que tu viennes) [que] j'ai dit cela»; ex luxuria existat avaritia necesse est = «[c'est] du luxe [que] naît la cupidité [: c'] est une nécessité [inéluctable]; venditorem dicere mercium vitia oportet = «que le vendeur [les] déclare, les défauts de [ses] marchandises [: c'] est une obligation [morale (un devoir)]; quid sit futurum cras fuge quaerere (HORAT., Od., 1, 9, 13) = «ce que sera demain, évite de chercher [à le savoir]; rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant (CAES., B. G., 1, 39, 6) = «le ravitaillement, [c'était] qu'on puòt l'apporter en cachette assez facilement [qu'] ils souhaitaient, disaient-ils»*<sup>25</sup>.

Denique non solum in prosa oratione sed etiam in *versibus* haec omnia quae dixi omnino vera mihi quidem apparent: nam poëtae optimi non idcirco vocabula disponunt ut solis metri condicionibus inserviant, sed iis ipsis condicionibus eo modo et eo consilio utuntur quo breviorem et subtiliorem orationem efficiant. Etenim jam in oratione soluta ante principium enuntiationis et post finem enuntiationis vox naturaliter vacat et silentium quoddam fit: sic tempus aliquod, quamvis parvum videatur, ad cogitandum relinquitur; item in *versibus* omnis *caesura*, sive primaria sive secundaria sive tertia sive quarta est, quia non solum vocis sed etiam sensus moram vel intermissionem habet, ad cogitandum per minimum saltem tempus propitia est et ideo ad vocabulum quoddam magis conspicuum faciendum, sive hanc meram praecedit sive sequitur. Versus autem uniuscujusque exitus caesuram maximam habet<sup>26</sup>; deinde in ipso versu vocabulum quodquam quod inter duas caesuras inclusum est ea ipsa re majorem accipit vim et gravitatem, etiam si suo loco positum est:

O Meliboe, || deus ||| nobis || haec otia tecit.  
Namque erit ille || mihi ||| semper || deus ||| : illius aram...

24. Item, cum id repetit (2, 7, 18), Cicero scribit: «divinationem, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum».

25. Hic praeter inversionem ejus enuntiationis quae a verbo «timendi» pendet adest prolepsis quoque vocabulorum «rem frumentariam».

26. Praecipue in saltu quo vocabulum quoddam quod in fine versus exspectatur in initium versus sequentis cadit (ut Aen., 2, 304) et vice versa (ut Aen., 10, 195 et Jam in verso Bucolicorum supra laudato «illius aram») : gallice «rejet» et «contre-rejet».

Oh! Mélibée! [c'est] un dieu [qui], pour nous, a créé ces loisirs-ci.  
Eh oui! il le sera, Lui, pour moi, toujours, un dieu: Son autel...

In primo versu duo vocabula, quamquam suo loco posita sunt, tamen propter caesuras magis conspicua flunt; in secundo ex quinque vocabulis quattuor majorem vim acquirunt, quamquam unum tantum de suo loco motum est (id est verbum «erit») et alia suo loco manent, quia caesurae quattuor illis vocabulis majorem dignitatis gradum praebent: ita Vergilius peritis-simus artifex est, qui conatibus minimis effectus maximos producit.

Non tamen ideo credendum est inversiones et disjunctiones vel proprie poëticas esse vel in oratione soluta satis raras esse: nam vocabulorum ordo *rectus* vel *logicus* vel *rationalis* vel *grammaticalis*, qui frequentior esse deberet, re vera *rarior* invenitur, nisi in legibus et in libris grammaticorum et agricolarum; *inversus* autem ordo, oratorius vel *patheticus* vel *emphaticus*, qui *rarior* esse deberet, re vera multo *frequentior* reperitur, praecipue apud oratores et poëtas, non in paucis tantum, sed in *plurimis* enuntiationis *vocabulis* atque etiam apud quosdam scriptores, maxime apud poëtas, paene in *singulis* vocabulis; in argentea etiam aetate Tacitus et jam Livius, dum sibi optimum vocabulorum ordinem quaerunt, nimium ea cura sollicitati, eum ordinem modo singulari, quamquam interdum mirabili, quasi detorquent.

Igitur, si ejus optimae vel etiam nimis subtilis vocabulorum collocatio-nis rationem neque habemus neque reddimus, cum antiquos scriptores in linguas hodiernas convertimus, magnam et saepe exquisitam partem perdi-mus non solum vocabulorum, sed etiam cogitationum; praeterea proprium uniuscujusque scriptoris scribendi genus nec plane nec optime in conversio-nibus nostris exprimitur; item, si, cum ipsis latine scribimus, eum vocabulo-rum ordinem neglegimus, neque tam breviter neque tam subtiliter dicimus.

Ex eo autem quod vocabula tam frequenter ordine non recto reperiuntur, grammatici et interpretes nostrae quidem aetatis censere videntur vocabulorum collocationem in lingua latina et graeca omnino liberam atque etiam paene *libidinosam* esse. At re vera ea «libertas» non «licentia» esse mihi videtur, sed *rationi et animo plane consentanea* esse et subtiliter compo-sita esse eo consilio ut etiam minima cogitationum et vocabulorum discri-mina vel differentiae in pleniore luce ante oculos ponantur, non solum in latinis sed etiam in graecis scriptoribus et in his non solum apud sophistas et eorum discipulos, qui philosophi et oratores maximi fuerunt, ut Plato et Demosthenes, sed etiam apud poëtas antiquissimos, ut ipsum Homerum; item in latinis non solum apud Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Livium, Tacitum, sed etiam apud Vergilium, Horatium, Ovidium. Intellexerant enim hi maximi scriptores se suas cogitationes et animos optime expressuros esse si ei legi obtemperarent quae in aureis quidem saeculis semper viguit: *jus-tum vocabulum justo loco positum*.

Prof. ALBERTUS GRISART

# De Josephi Famiglietti Carmine quod “In Pii IX Pontificis Maximi ab Urbe abitum et Cajetam adventum” inscribitur

Calamitosa tempora, quibus Pius IX, Pontifex Maximus, ecclesiae gubernaculum retinuit — Petri navicula enim aestuosas per undas incerta jactabatur — catholicorum annalium gravissima haber solent, quippe quae inermem Senem, in terris Christi vices gerentem, viribus tantum adnatum suis collectantem viderint cum pervicacibus adversariis, quibus prostratus cessisset nisi, immortalis spiritus lymphas hauriens, procerae quercus instar, firme stetisset eodem animi ardore militis illius qui neque hostium gladio neque morte deterreatur impavideque hostilibus impetibus olsistere contra non desinat. Objurgationis execrationumque fulmina in eum conjecta ab illis praesertim qui Romanum Pontificem civili in Urbe auctoritate demovere constituerant paternum Pii animum exacerbatum dilaniaverunt atque efficerunt ut in allocutionibus et in litteris encyclicis ad catholicum orbem missis crebro lamentatus sit rerum discrimina ad quae perventum nimiamque qua continuo vexabatur hominum acerbitas. Multa tum in Eum undcumque coniciebantur tela: in Pasquini ac Morboris epigrammatibus, dicacitatis salisque plenis, potissimum conspici potest quanta vehementia Petri Solium adversarii injuriis contumeliosisque verbis aggredi ausi sint; qua de re in illis legendis gaudium malivoli, boni autem aegritudinem celare non poterant ac vocebant fore ut, simultatibus tandem repositis, pax inter unius nationis homines instauraretur concordiaque quam primum vigeret. Pii Pontificatus, annis cruciatibusque redundans («Crux de Cruce», Malachia de eo ait), prius quam quandam civium concordiam novisset effrenatamque licentiam tantillum compressam consiperet, in gravissimis calamitatibus versatus est ipsumque Pastorem in exilium Cajetam euntem luxit vacusque paupisper mansit.

Pontificis abitus ingenti dolore haud paucos Romae perculsit eorumque animos aegritudo maestitiaque invasit quandoquidem Pater Communis Urbe egredi aliosque fines attingere cogebatur: Cajetae incolae autem, Summum Pastorem libentissimo animo accepturi, exultabant Deoque Optimo Maximo grates agebant voentes tantum Hospitem quam maxima animi tranquillitate, gravi maerorum sarcina deposita, in regione illa quam Deus tam pulchram effinxerit atque caeruleum mare dulciter lambat, una cum comitibus, vitatis periculis, esse fruiturum. Ubique tum in campana regione maximeque Cajetae homines bono praediti animo merum gaudium ostendebant, quisque pro virili parte operam dabat ut Augustus Exul honoribus, pro injuriis in Urbe acceptis, ad majestatem suam pertinentibus excoleretur; auctor

quisque quid sentiret et soluta oratione et carminibus decore expromere enitebatur; vulgus tandem plaudere avebat animi illa sinceritate quam campana gens omnibus temporibus adhibuit cordisque abundantia quae campanos totius Italiae jucundissimos, vel nobili vel ignobili loco ortos, homines effecit.

Josephus Famiglietti, in Collegio Nepopolitano a litibus civilibus judicandis Regius Procurator, gaudium suum civiumque ostendendi causa, carmen effinxit in cuius versibus Pontificis laudes nectens Apostolici Peregrini Carmen, Neapoli in lucem editum anno MDCCCXLVIII et ab auctore dicatum «Pio IX Pontifici Maximo — Tutori Sanctissimo Religionis — Principi Indulgentissimo — Qui — Nulla justae Libertatis Tutela — Civibus denegata — Populi Romani Dignitatem restituit», haberi jure potest maximum documentum universalis gaudii quo populus ac Ferdinandus II Borboniensis, Siciliarum Rex, Augustum Exulem prosecuti sunt et in campanam urbem receperunt: «Dum audaciorum hominum — sacrilegam vim evaderet — atque Ferdinandum II P. F. A. — Siciliarum Regem — Sibi merito parem — religione ac benevolentia insignem — experiretur — Devoti animi testimonium». Die quo Pius Cajetan pervenit omnium corda gaudium effundunt, obviam Ei omnes ire, comitari, Eum alloqui avert:

«Iam tandem illuxit votis precibusque vocatus  
Aureus usque dies, toto memorabilis aevo.  
.  
Iam tandem, Pie Magne, Pater Sanctissime, nostraſ  
Numinis auspicio venisti sospes ad oras!  
Venisti profugis tot post discrimina rerum,  
Ingratae linquens fatalia moenia Romae,  
Et nostris nova dona ferens, nova gaudia terris!  
Hinc bene felici felicia verba diel  
Conveniunt, hilaresque effusi e pectore sensus.  
Hinc tristes abeant curae, lacrymaeque, metusque,  
Et pavor, et gemitus, saevum genus omne malorum.  
.  
Publica sic late exultans se tollit ad astra  
Laetitia, et Tibi, Sancte Pater, qui numine caeli  
Frustratis scelerum insidiis, dirisque periclis  
Nos apud incolumis resides tutoque receptus,  
Gratatur, ceu cogit amor, pietasque, fidesque».

.... quandoquidem Pater in tuto receptus pericula effugit gratoque dilectissimorum filiorum agmine tegitur procul ab Urbe illa ubi jam serpit impius error virusque tartareum incautas agitat mentes:

«Quippe prius norat stygiis infecta venenis  
 Invaluisse diu, lateque inserpere regnis  
 Dogmata, iampridem quae severat implus error.  
 Est hic ab antiquo doctus furialiter ausis  
 Immiscere novis male cauta in pectora virus  
 Tartareum, ac odiis falsa sub imagine vanas  
 In Numen, sacra, et Reges incendere mentes,  
 Claraque probrosis praetexere nomina culpis.  
 Hinc Pius, igne calens sancto, sua regna suosque  
 Sub blanda satagit populos ditione tenere,  
 Iustitia, pietate, et pace labantia saecula  
 Firmare, et veterum detergere damna malorum».

Caecitas autem omnibus caliginem obducit necemque ipsis affert insonibus qui nihil triste peragunt nullaque, ne minima quidem, inficiuntur macula. Quis non novit injustam Peregrini Rossi mortem, de quo Josephus Famiglietti in carmine hoc mentionem facit cujusque miserandam finem tam vivide reprezentat ut crudelissimae ministri neci adesse paene dixeris?

«Namque erat illa dies, qua rursum rite senatu  
 Accito et fervente foro, gesta ante referre  
 Omnia, et indubiis debet iam prodere verbis,  
 Consiliis quibus inde foret, studiisque regenda  
 Publica res, sceleris ne corruat acta furore.

Propterea ingreditur dum limina sancta senatus,  
 Conscelerata manus scelerato heu impedit ense,  
 Occidit et media populi confossus in aula!  
 O scelus infandum, nostrique infamia saeculi!  
 Te ne igitur, Peregrine, eheu tam dira manebant  
 Fata, ter impia fatal! Nihil te tale merentem?  
 Te fera proditio, scelerumque licentia praeceps  
 Abstulit insontem, et violento funere mersit!».

Post interfectum Pilii ministrum conscelerata turba in Pontificem invehitur Eique, tanquam dignissimo patri improbi filii, maledicit:

.....«Insurgens clamoribus alte  
 Pontificem gravibusque minis, saeveque tumultu  
 Ausa est tentare, infamique lacessere bello,  
 Ut sibi seditione potens quam plurima captet  
 Principe ab invito temeraria, turpia, iniqua!

Nunc ego quid memorem turbis et milite sancta  
 Pontificum violata adyta, augustosque penates  
 Antea inaccessos vulgo pedibusque profanis,  
 Effractasque fores, incensaque limina flammis,  
 Perque cavas et tela et saxa iniecta fenestras!  
 Quid vero Helvetias, fidissima pectora, turmas  
 Fulmineis iaculis, densis gladiisque fugatas?  
 Tu tamen, o sanctum Caput, o vis proxima caelo  
 Vis inconcussa et divo bene cognita Petro,  
 Impavidus cernis rabidos crebrescere motus;  
 Nec Te consilii jubar, et constantia mentis  
 Unquam destituit rerum discrimine tanto».

Seditio ardet, in dies increbrescunt rabidi motus. Quid nisi fuga inermi  
 Antistiti restat? Insonis Pius, itineris pericula oppetens, Bavarense Comite  
 Spaure auctore, dilectam urbem, maestissima in corde agitans, noctu exul  
 fabulose deserit:

•Nox erat illunis vicesima quarta novebris,  
 Non longo expectata die, totamque per Urbem  
 Cuncta quiescebant, dum regia limina servant  
 Excubiae hostiles, quarum modo fallere curas  
 Est opus, est labor! At Spaur virtus provida et Harcourt  
 Conventis pactisque modis (mirabile dictu!)  
 Eludit vigiles centeni luminis Argos.  
 Nempe Harcourt vario turmas sermone moratur,  
 Et Spaur internos ingressus rite penates,  
 Mox per inaccessos aditus ad publica ducit  
 Atria Pontificem, mutata veste latentem.  
 Currus ibi propere fugientes excipit ambos,  
 Et celer in patulas rapido ruit impete postes;  
 Perque vias late fervens creberrimus axis  
 Pergit iter, donec pertingit ad ostia nostrae  
 Cajetae, quae jam transacti est meta pericli,  
 Et sedes secura diu, requiesque laborum».

Tertia jam aderat lux «qua vota patentia mundo» constituerat completere  
 Pius Divinæque Tradi referre accepta meritas ob munera grates. Ferdinandus Rex ejusque uxor una cum fidissimo populo in Dei templum se conferre  
 in animo habebant ob vitata, Deipara intercedente Virgine, itineris malivolorumque nuper pericula. Dies festus exstitit ille quo Pius devotum adivit  
 Triadis templum «assurgens imis e vallibus alte» dum splendet aureus Cam-

paniae sol, quasi omnia laetificare vellet, aere resonuerunt turres, clangoribusque tum aether personuit:

•At postquam templi summa ad fastigia ventum est,  
Mox Pius inflexis genibus, manibusque supinis,  
Relligione calens venerabile Numen adorat.  
Praesidium caeleste petit sibi, regnaque Divis  
Omnia commendat Superis, veniamque precatur  
Pro populo infenso sibi, sunt quia pectora prorsus  
Nescia quid faciunt, propriae et studiosa ruinae!

Commoti animi gaudioque corda perfusa ubi  
..... Pius ipse adytum divino percitus oestro  
ingreditur, cupidusque petit, qua celsius, aram,  
Hostia caelestis pretioso inventa metallo  
Et spissis rutilisque micat circumdata flammis,  
Statque ingens fidei signum, Christique laborum,  
Praesentis vitae robur, pignusque futurae».

Auctor tandem servidas extollit ad Deum preces ut benignum Pium servet Vaticanaeque Arci Eum quam primum iterum reddat omnesque injurias ab amantissimo Patre depellat. Operae pretium carmen hoc repertum attentissime legere: in eo non solum complures Josephi Famiglietti in carminibus condendis perpoliendisque dotes invenimus (nam in juventute «satis luserat» atque antiquos vates percalebat), tum etiam Piis tempora vivide repraesentantur una cum aegritudine illiusque Pontificis calamitatibus; quam ob rem in Neapolitani Auctoris versibus legendis multum proficimus deque tristibus temporibus illis plurima discere possumus.

ANTONIUS PAGANO

# ITER DANTIS IN DEUM

## INFERNUM

VESTIBULI STYGII VILISSIMA TURBA

*Inf., c. III, vv. 19-51*

*Transfuga pugnae cuiuslibet.  
Ignavia*

Ipse suis rapiens manibus, dum fronte serena  
me dubium recreat, dux in opera trahit.

Heic gemitus, planctus, vacuum reboantia cassum  
lumine; proinde meae mox maduere genae.

Linguae discordes, horrendaque dicta, ululatus  
et querulae voces et manuum strepitus  
pulsabant tenebras, circum versante tumultu  
continuo, veluti turbine arena rotans.

Tunc, mihi nam trepido iam tempora cinixerat horror,  
«Quos sontes» gemui, «sic dolor excruciat?»

«Supplicium datur hoc» retulit, «quibus crida vita  
cum labem fugit, tum sine laude fuit.

Angelicam turmam comitantur, quae sua stulte  
damna timens, renuit non renuitque Deo.

Hos Erebus prohibet, polus expulit; imminuat  
ne decus hinc caelis, dedecus inde reis».

Atque ego: «Quid miseros stimulis ita vexat acerbis?»  
«Expediam paucis sat tibi» doctor ait.

«Ad nihilum vellent, spes est sed vana, reverti;  
aut aliam sortem quamlibet esse datam:

viles sunt adeo, qui hoc caeco in gurgite vivunt.  
Spernit eos hominum fama, nec ulla sonat;

Justitia et Pietas genus istud respuit aequa.  
Ne cures illos; despice praeteriens».

## FRANCISCA ET PAULUS

*Inf., c. V., vv. 67-142**Perditus in caeco  
turbine caecus amor*

Hinc mihi Vergilius celebres mille amplius Umbras  
monstrabat digitis, nomine quamque suo;

atque ita, dum veteres memorat dominasque virosque,  
incubuit pietas, ut quasi deficerem.

«Illi sponte loquar» coepi, «quos poena revolvit,  
spiritibus geminis, flamine tam levibus».

Is func: «Arcessas propiores», inquit, «amorem  
quo anguntur miserans; ilicet et venient».

Cum prope curvat hiems: «Vos una o vortice lassi»,  
clamito, «state, precor, si modo nemo vetat!».

Quales approperant solito de more columbae,  
quo dulcis nidi fervida cura rapit,

Penna praecepiti liquidoque per aera lapsu;  
aethera non aliter transnatat horrisonum

mitis uterque preci Didonis ab agmine: tantum  
vox valuit, maestis qua resonabat amor.

«O animans, comis facie, sermone benignus,  
abdita qui peragras squalida regna, tuens  
nos qui sanguineum quandam depinximus orbem;  
si staret summi Regis amicitia,  
suave foret, nostri quoniam misereris amanter  
exitii, pacem sollicitare tuam.

Audiri ac dici vobis accepta, vicissim  
fas est si, veluti nunc facit, aura facet.

Flumina ubi Eridanus cum pace sequacia captat  
in mare discumbens, hic mea terra sedet.

Culti cordis Amor dux, forma hunc impulit uri,  
dein mihi praerepta; qua nece pungor adhuc.

Me, quia reddit Amor, cum quisquis amatur, amantem,  
vulnere percussit, quod patet usque dolens.

Ambos mersit Amor: dirum, a quo vita perempta est  
nostra, Caina manet». Talia verba data.

Has laesas cum sensi Animas, me flectere frontem  
contemplans: «Quid agis mente?» magister ait.

«Qui dulces motus, dulcissima quanta cupido,  
his fuit» ingemui, «labis acerba vial».

Dein illis: «Recolens, Francisca, miserrima fata  
haec tua commoveor tristis itemque pius.

At cum dulcis erat spes, dic cur, quomodo, cordis  
vicerit anticipites ardor». Et illa mihi:

«Nullus in aerumnis horas meminisse beatas,  
heul dolor exsuperat: dux tuus ipse monet.

Sed si tantus amor casus exordia nosse,  
non secus atque loquar, qui lacrimans loquitur.

Lansloti<sup>1</sup> vicibus delectabamur amantis  
solus cum sola; pax erat alta loci.

Fabula saepe ciet visus vultusque dealbat,  
sed tamen una simul pagina perdomuit:

dum legimus cupidum supra ridentia labra  
figere amatorem basia tenta diu,

hic, qui a me nulla poterit jam morte revelli,  
os junxit labiis corde tremente meis.

Exstitit et scriptor leno Galehotus<sup>2</sup> et ejus  
quae nobis facuit charta remota dehinc».

Talia dum levis Umbra fremit, sic altera maerens  
fundebat lacrimas, ut pietate mihi

tunc fere sim visus subitae succumbere mortis:  
et cecidi, veluti corpus inane cadit.

---

1. Ex vocis flexu in gallico nomine *Lancelot* (*Lans'lot*).

2. Ex vocis flexu in nomine gallico *Galehaut*.

## PHARINATA

*Inf., c. X, vv. 22-93**In homines ferreus,  
impius in Deum*

«O Tusce, ignita qui vivus in urbe pereras  
ore decora loquens, te rogo, siste pedem.

Patria sat sermone patet tua nobilis illa,  
cui fortasse nimis jam gravis ipse fui».

Exiit exemplo quodam vox ista sepulcro;  
proinde timens lateri me ducis applicui.

Qui: «Cur» increpuit «nutas? adverte, videsne?  
e tumulo arrectus stat Pharinata suo:

artibus a cinctu supereminet, aspice, totus».  
In facie sed jam lumina fixus eram;

is vero attollens surgebat pectora, frontem,  
sicut et infernum sperneret indomitus.

Mox ad eum pepulit dux inter flammea busta  
me vigil admonitum: «Verba fac apta legas».

Spectavit me cum subii, tuitusque parumper:  
«Qui tibi maiores?» is quasi acerbus ait.

Utque ego parendi studio celer omnia coram,  
nil reticens illi percipienda dedi,

contractus ciliis modicum suspexit, et inde:  
«Ardenti haec odii somite tota meo

gens adversa stetit generi, partique mihiique:  
ut bis illius robora dispulerim».

«Undique, pulsa licet, rediit semel illa iterumque;  
arte sed hac» retuli, «gens male vestra caret».

Tunc subito quaedam mente tenus exstitit Umbra,  
in tumulo genibus, judico, flexa suis.

Os anceps circum tulit, ut si cernere vellet  
et comes alter ibi me prope numne fore;

qua spe dejecta: «Tenebrosa per atria» flevit,  
 «si fultus graderis viribus ingenii,  
 natus ubi meus est? tecum cur non iter illi?»  
 «Sonus» respondi «non ego tempto viam:  
 me vates duxor manet illic, respice, cuius  
 grata tuus Guido carmina non habuit».

Sermo, modusque luis nomen jam panderat ultro,  
 quo responsa statim plena fuere mea.

Protinus insurgens clamavit: «Quomodo dixi,  
 quomodo? non habuit? non mihi vivit adhuc?»

Solis dulce jubar non ejus lumina mulcet?».  
 Vixdum perplexum me dubitare videt,  
 mutua maerenti nec reddere verba paratum,  
 intus procubuit mox resupinus humi.

At vir magnanimus, primo quem sponte moratus,  
 attigeram, firmus restitit ora rigens,  
 immotus membra, immotus cervice superba.  
 «Quod si» continuans dicta resecta prius,  
 «hac» ait «arte mei male dein caruere repulsi,  
 hoc, magis atque istis ignibus, excrucior.

Quinque tamen decies non luna repleverit orbes,  
 hujus et artis atrox experieris onus.

Et — dulces utinam redeas hinc sursus ad auras! —  
 cur ita, dic, quaequo, legibus usque suis  
 usque meos, curnam, populus premit impius ille?».  
 Atque ego: «Permagnum funus et excidium,  
 Arbia quo late rubuit conspersa cruento,  
 nunc nostra resonat tantus in urbe furor».

Tunc gemuit miser exutiens caput et: «Sociatus»  
 annuit «in patriam signa nefasta tuli,  
 cumque quidem sociis numquam nisi jure tulisse. Huic sed praesidum, cum strepuere simul  
 turba ducum victrix: — Pereat Florentia! — contra  
 unius insonuit vox manifesta mei».

# NOVA ET VETERA

## ITER TRAMINE FECI

1. Joannes Gundisalvius, feriarum aestivarum nactus opportunitatem, aliquas Hispaniae urbes invisit. Cum autem ad illum consulutandi causa venissem multa mihi narravit, ac qua est animi comitate et benevolentia ostendit quibus ipse vocabulis res novas latine expresserit, quibusque cum doctioribus viris —qui Congressibus ad linguam latinam vivam reddendam adfuerunt— in itinere colloctus sit.

2. En tibi, quo modo iter paraverim atque confecerim, mihi dixit. Cum iter suscipere constituo, primum, indicem traminum<sup>1</sup> diligenter inspicio et commodorem horam et tramen<sup>2</sup> velocius seligo. Deinde omnia quae opus erunt ad viam jucundiores ducendam aut ipse aut uxor sedulo paro: vidulum<sup>3</sup> in armario reconditum quaero, et in eo quae ad corporis ornatum et comptum spectant —ut

1. INDICEM TRAMINUM [*guia de trenes - indicateur*]: distingue a «charta traminum», id est *mapa ferroviario - carte du réseau*.

2. TRAMEN [*tren - train - treno*]: non est cur plurimos PALAESTRAE LATINAЕ locos, in quibus aut ipse scripsi aut alii de voce egerunt, iterum referam; praecipuos tamen conferas, queso: PAL. LAT., 26 (1956) 19 - 28 (1958) 407. Id tamen compertum ac pro certo habemus: I. vocem *tramen* esse vere latinam, nam apud Grammaticos (cfr. Keil, v. IV, p. 584, 48; Barwick, v. V, p. 463, 18) et praestantissimos lexicographos eam legimus: Ernout-Meillet (s. v. *trama*)...:

«d'où *tramen*, tardif»; Walde-Hofmann; Forcellini (s. v. *trama*): «Sic et *tramen* ejusdem significatus [*ac trama*], a *traho*, ut a *nosco nomen*, a *luceo lumen*; Freund, Gaffiot, Gradenwitz...

II. *Tramen* igitur ex *intimo* sermone latino, ab antiquis scriptoribus —non a nobis deductum est—; et quanquam non est purae latinitatis, sed eadem forma ac multae voces, quae in *-men* desinunt, est efficta<sup>1</sup>.

III. De ejus tamen etymo inter etymelogos disceptatio intercedit, nam ex eorum sententia cum *trans* aut *trameo* aut *trama* conjungitur (cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 31-32).

1. Neque opus est —ut commentatur Prof. J. Prill in Soc. LAT., 2 (1934) 48— a vocabulo *infirmae latinitatis* quod est \**trahimen* ad «tramen» venire, —quasi nos hoc iterum effingamus — cum jam in lingua latina habeamus.

machinulam rasoriam electricam<sup>4</sup>, penicillum dentarium<sup>5</sup>, sudariola<sup>6</sup>, aliaque,

IV. Quod si *tramen* in thesaurum latinitatis accipimus, non novum inducimus vocabulum, sed primigenium sensum ad novam rem significandam —ut perpetuo in nostris linguis fit— producimus.

Ergo a): non ita recte vir illustrissimus Card. A. Bacci in *Latinitate*, 4 (1956) 11, n. 19, et nunc in *Lexico*<sup>4</sup> (1963, s. v. *ferrovia*): «Perperam autem, inquit, a nonnullis ad hanc rem (= *treno*) significandam *tramen*, vel *tramentum* proponitur, quae quidem verba Folenghianam linguam sapienti; b) et ex dictis immerito vox Folengiana habetur cum non ex vernaculis *tren* - *train* - *treno* latine faciamus *tramen*, sed rei novae nomen appetamus *vere* latinum, et in verborum penuria potius de latinis verbis viciitemus quam ab aliis mutuum accipiamus; c) quanquam non desunt praestantissimi scriptores qui vocem graecam *hamaxostichos* usurpant, —salva tantis viris reverentia— eorum sententiae non suffragamur: est enim vox extera —non necessaria—, longior, parum rei propria, captu omnibus difficilis. Neque Plautus commemorandus est (cfr. *Latinitas*, 4 (1956) 12 et BACCI, *Lexicon*<sup>4</sup>) ut aliquod fundamentum voci «hamaxosticho» tribuatur, qui voculam «hamaxari» effinxerit, cum eo loco editiones criticae (Oxonensis, Budeana, Georges, *Lexicon Plautinum* a Gonzá-

lez Lodge paratum) *amplexari* legant: «Ut ego me ruri *amplexari* mavelim patulam bevem (PLAUT. *Truc.* 2, 2, 22 (277)).

3. VIDULUM [*maleta* - *valise* - *valigia*]: «vidulus est sacculus ex corio, quo pecunia vel aliud quippiam itineris causa reponitur (FORCELLINI, s. v.). Major est quam «bulga» [*maletin*], nam Plautus in vidulo «nesse cistellam» (*Rud.*, 4, 4, 86) et «marsupium obsignatum» (*Men.*, 5, 7, 47) dicit. —Alii: «cista itineraria» (Soc. LAT.; *Juventus*, 24, 1, 2, DUMAINE, *Convers. lat.*, p. 276); «cista viatica» (*Juventus*, 21, 2, 27).

4. MACHINULAM RASORIAM ELECTRICAM [*máquina de rasurar eléctrica*]: cfr. PAL. LAT. 29 (1959) 37; quam vocem Card. Bacci in 4.<sup>am</sup> *Lexici* editionem inseruit.

5. PENICILLUM DENTARIUM [*cepillo de dientes*]: cfr. PAL. LAT., *Ibid.* n. 11-13.

6. SUDARIOLA [*pañuelos* - *mouchoir* - *fazzoletto*]: cfr. L. VIVES (*Linguae latinae exercitatio*, op. om. Valentiae, I, p. 285): «Mane paulisper, appende sudariolum hoc de zona, ad nares emungendas et purgandas». Habes etiam apud QUICHERAT: «sudarium SUET. QUINT.; sudariolum APUL.; linteum CAT.; linteolum PLAUT.; mapula ALCUIN.; muccinum ARN.». Apud O. BADELLINO: «sudarium; linteamen; linteolum; orarium; ricinium; facitergium (ISID.)»; Card. BACCI superiora refert: «sudarium, ricinium, linteolum, muccinum, mucinum».

hujusmodi— apte compono. Aliquando pauca viatica<sup>7</sup>, libellos commenticios<sup>8</sup>, fabulam romanensem<sup>9</sup>, —quibus legendis in itinere delecter— adicio; quae cum chartariolo<sup>10</sup> et codicillo plagulis discindendis<sup>11</sup> ad res perscribendas in bulga<sup>12</sup> recondo.

3. Quibus apte instructis, ad stationem ferriviariam<sup>13</sup> pergo, in magnum vestibulum tesseris comparandis<sup>14</sup> ingredior; seriem<sup>15</sup> hominum inquirō qui idem, quod ego, iter aggrediuntur; parumper exspecto, ad tesserarum forulum<sup>16</sup> accedo,

7. VIATICA [*provisiones; dinero para el viaje*]: «Quidquid Itineris agendi causa necessarium est, sive pecunia sive cibus sive vasa, vestis, etc.» (FORCELLINI, s. v.).

8. LIBELLOS COMMENTICIOS [*libros de cuentos*]: cfr. CIC. *De off.*, 3, 9, 39: «Philosophi quidam... fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone». —GEORGES (s. v. *Märchen*) et alii: «fabula ficta».

9. FABULAM ROMANENSEM [*novela*]: GEORGES, MENGE-MÜLLER, *Längenscheidts Taschenwörterbuch*, VALLAURI: «fabularis historia».

10. CHARTARIOLO [*carpeta*]: «integumentum chartaceum, dico, in quo epistulae, chartae, similia reconducuntur; cfr. PAL. LAT., 21 (1951) 112 et 133; 29 (1959) 102, n. 33.

11. CODICILLO PLAGULIS DISCINDENDIS [*bloque, bloc*]: nam in his codicillis 'plagulae discinduntur'; paratione dixi (PAL. LAT., 26 (1956) 169) de re simili «ephemeridem rebus commemorandis».

12. BULGA [*maletín, bolsa de mano*]: «interpretatur bulga folliculum, hoc est saccum [*scorteum*] ad brachium pendens... cuiusmodi est qui a viatoriis gestari solet» (NONIUS, cfr. FORCELLINI et RICH, s. v.).

13. STATIONEM FERRIVIARIAM [*estación (del ferrocarril) - gare - stazione*]:

quae vocis translatio ab omnibus admittitur; P. AVENARIUS (PAL. LAT., 24 (1954) 175) etiam: «aedes stationales».

14. VESTIBULUM [*vestíbulo, sala de entrada*]: fuit 'locus ante aedium januam, inter aedes ipsas et viam relictus, eum in usum, ut qui aedium dominum salutatum venissent, neque in via starent neque in ipsius essent aedibus' (FORCELLINI, s. v.); quem sensum facile in «vestibulum stationis ferriviariae» declinare possumus. —Dic etiam «aulam tesserarum»; cfr. P. AVENARIUS (PAL. LAT., 13 (1943) 17): «...evenit ut illa amplissima aula tesserarum plena esset hominum...».

15. SERIEM [*cola - queue - coda*]: adhibe «seriem» vel «ordinem»; cfr. P. AVENARIUS (PAL. LAT., 13 (1943) 17): «Digitus monstrat ultimum seriei locum».

16. TESSERARUM FORULUM [*taquilla - guichet - biglietteria*]: «tesserarum loculus, tesserarum forulus» aptae videntur locutiones ex ipsa rei similitudine, cum in statione aliqui sint quasi «loculi seu foruli»; et quamquam veteres scriptores has voces fere plurali numero efferunt, singulare etiam adhiberi possunt. Cfr. P. AVENARIUS (PAL. LAT., 13 (1943) 17-18): «...quae necessaria erat ante forulum tesserarum»; «ad quintum fo-

tesseram primae vel secundae classis<sup>17</sup> cum sede reservata<sup>18</sup> requiro ejusque pretium —cum ad manus priorum syllabum<sup>19</sup> non habeam—; vel si nocte iter facio, currum dormitorium<sup>20</sup> postulo ut noctu placide quiescam.

4. Alios video in manibus et in tergo onera, capsas<sup>21</sup>, vidulos, quasillos<sup>22</sup>, bulgas, omnis generis mercium et regularum onusla, comportantes. Ipse tamen iter faciens pauca fero et illud Sapientis arripi dictum: «Omnia mea mecum porto»; qua re opus non est ad sarcinarum forulum<sup>23</sup> accedere neque syngrapham vectoriam<sup>24</sup> sumere neque sarcinam in reconditorio<sup>25</sup> tradere custodiendam.

Deinde in crepidinem<sup>26</sup> exeo, viam ferream<sup>27</sup> inspicio; cum nonnulla sint

rulum...»; «petit transennam quinti foruli...», alia. —DUMAINE (*Convers. lat.*, p. 276): «tesserarum portula»; TEMPINI (*Manuale di convers. lat.*, p. 169): «tesserularum diribitorium»; Card. BACCI: «tesserae viariae (viatoriae) diribitorium; schedulæ viatoriae (viariae) diribitorium»; P. JOVEUS (*Candidatus Lat.*, 2 (1929) 26): «Vi-de'n tesserařiam»?: ¿ves esa taquilla?, alibi (PAL. LAT., 6 (1936) 91): «tesse-rariam fenestellam»; et P. AVEVARIUS (PAL. LAT., 13 (1943) 57): «versus transennam foruli tesseraři».

17. TESSERAM PRIMAE, SECUNDÆ CLASSIS [billete de primera, de segunda clase]: primigenium vocis *classis* sensum producimus et aptamus; cfr. P. JOVÉ (*Candidatus Lat.*, 2 (1929) 26): «pro diversa loclamentorum classe... prima, secunda, tertia»; P. AVENARIUS (PAL. LAT., 13 (1943) 18): «postulat duas tesseras secundae classis Cuneum».

18 CUM SEDE RESERVATA [*con reserva, con astento reservado*].

19. PRETIORUM SYLLABUM [*tarifa de precios*]: Cfr. *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 26: «Syllabus varius est pro diversa loclamentorum classe, quam elegeris prima, secunda, tertia»; et *Ibid.*, 3 (1930) 10: «Syllabus pretio-

rum». ZENONI: «priorum index». Vide alia apud Quicherat, Badellino, Luciano.

20. CURRUM DORMITORIUM [*coche-cama - wagon-lit - wagon-letto*]: JOVÉ (*Candidatus Lat.*, 2 (1929) 27; PAL. LAT., 29 (1959) 147, n. 32; TEMPINI (*Manuale di conv. lat.*, p. 169): «carruca dormitoria».

20. CAPSAS [*caja, bulto*].

22. quasillos [*cesta*]: 'parvus qualus' [=cesto].

23. SARCINARUM FORULUM [*taquilla de equipajes*]: dic «forulum» vel «loculum, cfr. supra n. 16.

24. SYNGRAPHAM VECTORIAM [*talon*]: id est syngrapha, tessera 'quamerces in tramine vehantur'.

25. RECONDITORIO [*consigna*]: quam vocem Sanctus Isidorus Hispalensis rei simili imponit: «Apothecca autem vel horrea a Graeco, verbum ex verbo, repositoria vel reconditoria dici possunt, eo quod in iis homines elaboratas fruges reponunt» (*Etymol.* 15, 5, 8) Ideo et nos reconditorium vel repositorium dicere possumus.

26. CREPIDINEM [*andén - quai, trottoir - marciapiede*]: Cfr. P. JOVÉ (PAL. LAT., 6 (1936) 91): «tempus ineundae crepidinis (aut aulae) unde concenditur tramen»; P. AVENARIUS



## Res suis nominibus latine designantur

- |   |                                       |
|---|---------------------------------------|
| 1. crepidinis protectum                     | cubierta de andén                     |
| 2. itinerum ferriviariorum descriptio       | plano de los itinerarios de los F. C. |
| 3. foruli, loculi, orum, (tesseraria)       | taquilla                              |
| 4. globulus electricus                      | globo eléctrico                       |
| 5. diariorum, actorum diurnorum taber-      | quiosco de periódicos                 |
| 6. minister, tri [nula                      | dependiente                           |
| 7. viatores, vectores                       | viajeros                              |
| 8. saeptum, i                               | valla (de separación)                 |
| 9. viatores sumunt tesseram                 | cogiendo billetes                     |
| 10. gerulus, bajulus, i                     | mozo (de estación)                    |
| 11. in serie stant                          | haciendo cola                         |
| 12. currus, us; carrus, i                   | vagón                                 |
| 13. horologium, ii                          | reloj                                 |
| 14. proscriptiones, proscripts, orum        | carteles anunciadores                 |
| 15. index, tabula nuntiorum                 | letrero indicador                     |
| 16. arcae et fasciculi                      | baúles y paquetes                     |
| 17. fasciculorum repositorum                | mesa guardapaquetes                   |
| 18. vidulus, i                              | maleta                                |
| 19. administer; bajulus, i                  | empleado                              |
| 20. carrulus, i; plostellum, i              | carretón                              |
| 21. crepido, inis                           | andén                                 |
| 22. filum fluenti electrici                 | hilo de la corriente eléctrica        |
| 23. machina tractoria electrica             | lococomotora eléctrica                |
| 24. fumus, i                                | humo                                  |
| 25. vaporitraha, ae                         | locomotora de vapor                   |
| 26. palus; longurius, ii                    | poste                                 |
| 27. tesseram terebrat                       | taladrando el billete                 |
| 28. vallum discriminis                      | barrera de separación                 |
| 29. petasus, i                              | sombrero                              |
| 30. apparitor, oris                         | botones                               |
| 31. acta diurna legunt                      | leyendo el periódico                  |
| 32. (portionem) frigidam in thermopolio su- | tomando un refresco en el bar         |
| 33. cafeopola, thermopola, ae [mit          | barman                                |
| 34. cartibulum (ostentationum)              | mostrador                             |
| 35. lagoena                                 | botella                               |

curricula<sup>28</sup> —ut euntibus et redeuntibus traminibus expeditus aptusque detur locus—, curriculum, in quo consistit tramen mihi arripiendum, inquiero.

(PAL. LAT. 13 (1943) 18): «porrigebat rem ab ipso relictam in foruli crepidine»; LURZ (*Soc. Lat.*, 1952, p. 3, s. v. *Bahn*), et alii.

27. VIAM FERREAM [*ferrocarril*, *línea de tren* - *chemin de fer* - *ferrovia*]: P. Avenarius adhibet «viam ferream» (PAL. LAT., 13 (1943) 16); «viam ferratam» (PAL. LAT., 13 (1943) 53; 20 (1950) 183-184); «ferriviam» (24 (1954) 175); «ferroviam» prius saepe usurpaverat —ut alii—, quam prudenterius deinde abjecit<sup>1</sup>. TEMPINI (*Manuale di convers. lat.*, p. 169): «ferrovia, ferrivia»; COGNASSO (*Il latino*, s. v.); «ferrata via; ferrivia, ferrea via; ferrovia; via ferreis axibus munita...»; easdem leges voces apud Badellino, Lurz (*Soc. Lat.*, 17 (1952) 3, s. v. *Bahn*), Card. Bacci.

28. CURRICULA [*via*, *línea* - *voie* (*rails*) - *binario*]: agimus de binis illis regulis ferreis in terra stratis quibus currus ducuntur, et per quas incedens tramen currendo *curriculum* perficit. Audi P. Avenarium (PAL. LAT., 20 (1950) 184): «Paria illa currilium quibus demum terrea via efficitur, mihi erunt *curricula*. Itaque... te properare jussero ad tertiam crepidinem illudque *curriculum*, quod ingredienti sit ad dexteram, nam ad sinistram quartum sterni *curriculum*». P. Joveus (PAL. LAT., 6 (1936) 92) «*curriculum*, *orbitam* dixerat, et ipse quoque P.

Avenarius; sed deinde ex lexicis intellexit «*orbitam*» esse tantum 'vestigium, rotarum vertigine in terra depresso' (PAL. LAT., 20 (1950) 183) et ideo —verbis supra memoratis— «*curriculum*» proposuit.

Sed ab hoc «*curriculo*» (= binis regulis) distinguamus necesse est singulas regulas ferreas, quarum unamquamque vulgato nomine *rail* - *riel* vocamus; quam prius *orbile* diximus (PAL. LAT., 18 (1948) 368-69.70, et *Nova et vetera —opusc.* p. 61-63); sed cum *orbile* sit 'pars ipsius rotae' (PAL. LAT., 20 (1950) 185), P. Avenario visum est ab hac voce abstinentum esse, et aliam proposuit. Ergo prius (PAL. LAT., 13 (1943) 68): «Et quoniam de via ferrea loquimur, ipsas illas ferreas regulas, quibus aliqua via ferrea est, quas *rails* et *rotarie* vocant, ut *rotalia* (*rotale*) nominem, vel «*rotabula*», hoc est quae ad rotationem pertinent, vel quibus rotantur currus rotae..., inductus sum». Et deinde (PAL. LAT., 24 (1954) 175): «*Rotalia* esse volo quae sunt gallice, anglice atque adeo hispanice *rails*, quibus irrotantur curruum ferriviariorum rotae —nam ita prorsus existimo *rails* ab Anglis ex rotis petita—, et *orbilia* et *orbitas* altiarum rerum excitare spectra, quam illas ferreas perticas quibus in solo defixis lapsus lenitur rotarum».

1. Dr. J. Prill difficultatem in vocabulo «*ferrovia*» inducendo probe intellexit (*Soc. Lat.*, 2 (1934) 47-48), nam indoli linguae latinae in effingendis cōpositis repugnat; alia tamen quae ibi commentatur scriptor inutilia prorsus sunt; nulla est ratio probabilis qua a *ferrivia* recedamus.

5. Tramen, carbone calefactum actumque vapore, vaporitrahā<sup>29</sup> vehitur; in ea caldarium<sup>30</sup> video, fumarium<sup>31</sup>, diribitorium<sup>32</sup>, sibilum<sup>33</sup>, faculam<sup>34</sup>, tudites<sup>35</sup>, uncum<sup>36</sup>, cetera. Vaporitrahae praesunt fornacator<sup>37</sup>, qui carbonem e carbonario curru<sup>38</sup> subducit ignemque excitat, et machinator<sup>39</sup>, qui vaporitrahā moderatur ac signis rectoris stationis<sup>40</sup> obtemperat.

De his vero vocibus *curriculo* et *rotali* lege, quae ad P. Avenarium scripsi (PAL. LAT., 27 (1957) 53): «*Rotalia...*, quae vox cum singulas illas virgas seu regulas ferreas designet, singulari numero esse efferendam censeo ita ut singulae sint «*rotale, is*» (*rail, riel*), paria vero rotalium quibus via ferrea efficitur —quaeque ab aliis «binarium, gemini ferratae viae axes, linea ferrata, linea ferriviaria» appellantur— tu nunc facis *birotalia*, quam quidem vocem non rejicio, sed probabilius mihi est *curriculum*, quod jam diu proposuisti...». —At ...*rotale* P Caelesti non admodum probatur, quia, ut videtur, proprius significat 'quod habet rotas'; P. Avenarius vero aliquatenus sensum vocis deflectit et intellegit *rotalia* 'quisbus irrotentur currum rotae'. Sed haec sensum progressio seu produc-tio in quam plurimis veterum vocabulis, insequentibus aetatibus, inquirendo facilime reperimus. Restat igitur —ut opinor— ut *rotale* aut *orbile* recipiamus; nisi forte malumus sensum vocis *currile, is* novare, ex qua (*currile - carrile* = 'carril' deducta est vox hispanica *carril*, —ut probat J. Corominas (*Diccionario crítico etimológico de la leng. cast.*, s. v. *carro - carril*)— quae, ut compertum est, idem valet ac *rail, riel*.

29. VAPORITRAHA [*locomotora - máquina*]: alii: «*machina motrix, machi-*

*na vectrix, machina tractoria*», cet.; cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 24). TEMPINI (*Manuale di convers. lat.*, p. 169): «*vaporalis machina*».

30. CALDARIUM [*caldera - chaudière*]: dic «*caldarium*» vel «*caldarium*» (cfr. PAL. LAT., *ibid.*).

31. FUMARIUM [*chimenea - cheminée*]: cfr. PAL. LAT., *ibid.*

32. DIRIBITORIUM [*caja de distribución*].

33. SIBILUM [*silbato*]: «*sibilum*» (n.) id intellego 'quo sibilatur'; nam «*fistula, avena, calamus*»... non sufficient.

34. FACULAM [*farol*]: dic «*faculam, facem, lanternam*».

35. TUDITES [*topes*]: «*tudes*»: id intellego 'quo tunditur, quo impingitur'; cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 109-110) et *Candidatus lat.* 2 (1929) 25.

36. UNCUM [*enganche*]: cfr. *ibidem*, et verbum consonat rei.

37. FORNACATOR [*fogonero - chauffeur*]: cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 24.

38. CARBONARIO CURRU [*ténder - tender*]: dic «*currum*» vel «*carrum*»; alibi (PAL. LAT., *ibid.*) «*carbonarium*» tantum adhibui.

39. MACHINATOR [*maquinista - mécanicien*]: in qua voce parum primitum sensum deflectimus. TEMPINI (*Manuale*, p. 169): «*machinator, machinæ rector vel ductor*».

40. RECTORIS STATIONIS [*jefe de la estación*].

Tramina varii sunt generis ac nominis: communia<sup>41</sup>, tabellaria<sup>42</sup>, mixta<sup>43</sup>, citata seu expedita<sup>44</sup>, rapida<sup>45</sup>; ex quibus plura hodie non vapore sed electride aguntur; quae commodiora sunt et velociora ac maxima munditie ornantur.

Vaporitraha post se currus trahit, qui quidem alii viatorum<sup>46</sup> sunt, alii vero onerarii<sup>47</sup> et pecuarii<sup>48</sup>, onera, pecora aliaque comportantes.

6. Tu vero iter instituens sic in currum penetrabis: primum, gradum consen-  
dis, portulam aperis, in ambulatiuncula<sup>49</sup> consistis, loculamenta<sup>50</sup> inspicis ut lo-  
cum commodum tibi seligas, sarcinam in reticulo<sup>51</sup> reponis, in sede seu sedili as-  
sides. Aestivo tempore ad fenestellam aut in strato currus<sup>52</sup> stare jucundum tibi  
erit ut rerum praetereuntium conspectum demireris. Currus nocturno tempore aut

41. TRAMINA COMMUNIA [*tren ómnibus*]: cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 109-110; Card. BACCI *Lexicon s. v. ferrovia*; COGNASSO: «communis, vulgaris tractus».

42. TRAMINA TABELLARIA [*tren correo*]: cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 25 et nota ibidem quae de vocibus *posta* et *postalis* scripsi.

43. TRAMINA MIXTA [*tren mixto*]: cfr. PAL. LAT., 6 (1936) 91; 19 (1949) 109-110.

44. CITATA SEU EXPEDITA [*tren expreso*]: dicamus «citatum, citatissimum», vel cum Card. Bacci «citem, citissimum» — ita etiam Egger, *Latinitas*, 3 (1955) 113—; «expeditum» dixi (PAL. LAT., 19 (1949) 109-110); quae quidem vox retineri potest, nam quia est ab omnibus maxime «expeditum», ideo et «citissimum». Dubitatio vero afferriri potest utrum «expressum» re-  
tineamus, quam vocem adhibuit P. Jové (PAL. LAT., 6 (1936) 91).

45. RAPIDA [*tren rápido*]: cfr. Jové (PAL. LAT., 6 (1936) 91;— 19 (1949) 101-110); ubi «citatum», praeter «ra-  
pidum» adhibui, quod aptius, ut vi-  
detur, ad illud quod hispanice *expre-  
so* dicimus, imponemus.

46. CURRUS VIATORUM [*vagón de pasajeros, viajeros*]: ita COGNASSO et alii.

47. CURRUS ONERARII [*vagón de carga (furgón)*]: dic «onerarios» vel «sarcinarios»; cfr. (PAL. LAT., 19 (1949) 110 et 26 (1956) 23: eadem refert Card. Bacci.

48. CURRUS PECUARII [*vagón ganadero*]: cfr. (PAL. LAT., 19 (1949) 110 et 26 (1956) 25; ac recole quae de «carru» et «curru» ibi scripsi.

49. AMBULATIUNCULA [*pasillo, corredor - couloir*]: proposueram «transitum, fauces, ambulacrum» (PAL. LAT., 19 (1949) 110); aptior tamen erit «ambulatiuncula».

50. LOCULAMENTA [*departamento*]: saepius a P. Joveo usurpatum (cfr. *Candidatus Lat.*, 2 (1929) 26; et PAL. LAT., 19 (1949) 109-110).

51. RETICULO [*red - file*]: ex rei similitudine (cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 23); quod si rete non sit, dic «re-  
positorium».

52. STRATO CURRUS [*plataforma*]: simili modo ac fuerat apud veteres «stratum» = 'tabulatum in turri mi-  
litari' (cfr. FORCELLINI, s. v.).

in cuniculis<sup>53</sup> percurrendis electride aut alia luce collustrantur. Si quis forte casus aut detrimentum<sup>54</sup> in itinere evenerit, pulsabulum instantis periculi<sup>55</sup> pulsatur vel comprimitur.

7. Inspector<sup>56</sup> advenit, comiter adstantes salutavit et tesseras postulavit comprobandas. Interea, dum colloquimur, cum aliis vectoribus, multas stationes transimus; semaphora<sup>57</sup> superamus, mutatoria<sup>58</sup> transgredimur; exspectantium voices audimus salutationesque laetantium percipimus: tandem consistit tramen. Hora est prima post meridiem: aptissima quidem hora in deversorio prandium sumendi.

8. At... alia tibi narrabo. Aliquot abhinc dies Montis Serrati nobile Coenobium cum peregrinantium coetu invisi tramine ductus denticulato<sup>59</sup> —quod quibusdam quasi dentibus ferreis sustinetur ne recedat dum montes reptare videtur—. Cum vero tramen funale<sup>60</sup> —quod ope funis seu rudentis trahitur— concendi, magna permotus sum admiratione; mulieres vero pavientes suspenso animo omnia perlustrabant dum ille funis —a quo omnium nostrum pendebat animus et vita— leniter defluebat.

53. CUNICULIS [tunel]: ita multi —Avenarius (PAL. LAT., 13 (1943) 75), Cognasso, Luciano, Badellino, Bacci, cet.—; Cognasso, Luciano, Blone (s. v. *traforo*): «transfossus mons». Alia minoris sunt habenda: «foramen concameratum» (*Juventus*, 21, 6, 85); «subterraneus transitus» (ZENONI, DUMAINE (*Convers. lat.*, p. 277); «cuniculus fornicatus, canalis structilis, fossa concamerata» (LIS, *Societas Lat.*, 6 (1958) 45).

54. DETRIMENTUM [avaria]: similitatione ac in PAL. LAT., 30 (1960) 219.

55. PULSABULUM INSTANTIS PERICULI [timbre de alarma]: cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 109-110; de voce *pulsatum* cfr. PAL. LAT., 31 (1961) 19.

56. INSPECTOR [revisor, interventor]: vel «perforator», cfr. PAL. LAT., 13 (1943) 75 et 26 (1956) 23, ubi P. Avenarius «inspectore» utitur.

57. SEMAPHORA [disco - disque]: P.

Avenarius (PAL. LAT., 24 (1954) 175: «lumina, semaphora»; EGGER (*Latinitas*, 3 (1955) 112) in rem similem «lychnus index transitus»; Card. BACCI: «index, semaphorus, semapherus» (s. v. *semaforo*).

58. MUTATORIA [aguja - aiguille]: cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 25; et Soc. Lat., 2 (1934) 48 ubi propositum est. «binarium versatile, declinatorium».

59. TRAMINE DENTICULATO [tren cremallera]: nomen rei quadrat; nam «denticulatus» significat 'qui multos dentes habet', ut in serra, in cancris; et illud tramen quasi dentibus reptare videtur. —«Denticulatus» apud Plinium (*N. H.*, 9, 31, 51 (97) —ubi de cancris—, legimus.

60. TRAMEN FUNALE [funicular - funiculaire - funicolare]: cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 109-110; EGGER (*Latinitas*, (1955) 117): «funalis currus terrestris», et Card. BACCI.

9. Ac suavissima in primis percepi animi voluptatem cum supra cacumina montana velociter cistella illa seu diaeta funi suspensa transvectus<sup>61</sup>, supervolavi; per fenestellam inspiciens minutissima mihi visa sunt omnia.

Neque desunt aliae funales trajectiones aëriae<sup>62</sup> quibus rotabili rudenti circumductus<sup>63</sup> enavigare per aëra tibi videaris: nam aut telepherica<sup>64</sup> in montes ascendis aut aëria sella<sup>65</sup> aut nivitrala aëria<sup>66</sup>: qua transvectione, hiberno tempore praesertim, labilibus soleis supra nivem decurrentes<sup>67</sup> oblectantur.

Habes, benevole lector, quae mihi nuper enarravit de suis peregrinationibus voluptariis<sup>68</sup> Joannes noster Gundisalvius.

61. CISTELLA SEU DIAETA FUNI SUSPENSA TRANSVEHI [*viajar en aéreo*]: ita scripsi in PAL. LAT., 19 (1949) 190-110, quae quidem retineri possidentur; hunc tamen currum aëriū funi suspensum funalem currum sublimem Egger vocat (cfr. *Latinitas*, *Ibid.*).

62. FUNALES TRAJECTONES AËRIAEC [*viajes en aéreo, en teleférico*]: cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 109-110 et etiam Lexicon Baccianum (in 4.<sup>a</sup> edit., 1963).

63. ROTABILI RUDENTI [AËRIO] CIRCUMDUCI [*viajar en teleférico*]: «rotabilis» est 'qui rotari et in gyrum agi potest' (cfr. PAL. LAT., *Ibid.*).

64. TELEpherica [*teleférico - téléphérique - teleferica*]: haec vox — a verbis graecis τῆλε et φέρω deducta — vel feminino genere efferi potest — eritque quasi [*cistella, diaeta*] *telepherica*, ut supra dixi —; vel *telephericum*, ut saepe neutro genere instrumenta proferuntur, aut in qua *vehiculum, plostellum, curriculum*, intellegamus.

65. AËRIA SELLA [*telesilla*]: vox simili sensu et ratione in latinum translata.

66. NIVITRALA AËRIA [*telesqui*]: cum de nivalibus decursoribus (*esquidores*) agerem, non solum *traham* — vocem ad id non nihil incertam — nos adhibere posse intellexi, sed et novam magis definitam *nivitrahā* fingere, qua pressius significaretur «traha per nives dilabens» (cfr. PAL. LAT., 13 (1943) 15-16 et 19 (1949) 109-110); quam nunc necessitate constricti, ex novis rerum inventis, in illum currum aëriū *«telesqui»* transferimus, eritque *nivitrala aëria*.

67. LABILIBUS SOLEIS NIVEM DECURRENTES [*esquidores*]: cfr. PAL. LAT., 19 (1949) 101-110; dic etiam *«nivales decursores»* (cfr. PAL. LAT., 13 (1943) 15-16 et quae P. Caelestis in PAL. LAT., 33 (1963) 198 scripsit).

68. PEREGRINATIONIBUS VOLUNTARIIS [*viajes de sport, de recreo*].

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

# PER ORBEM

**Lingua Latina — cui mortuae multi hodiernae aetatis homines** funeris jamdiu solverunt...—, adhuc in flore est, adhuc vivit. Multa nuper aduersus eam nonnulli scriptores galli verba fecerunt, scripserunt, eamque acriter oppugnarunt. En aliquo:

«Congruens revera videtur latinam linguam Sorbonnae institui...; ne vero per septem annos de pueris indefensis hoc linguae latinae docendae saevissimum sumatur supplicium...»

«Juvenes vitam amant et ideo cadaver omne genus —quamvis linguae latinae sit— horrorem eis incutit. .»

Permuli vero scriptores galli iisque gravissimi, totis viribus latinitatem propugnant, tutantur meritoque affirmant ni lingua latina adulescentes in scholis erudiantur, optimam hominis aspernabimur partem, id est virtutes illas quae hominem humanum faciunt.

—Licet superiore *Palaestrae Latinae* fasciculo nonnulla rerum nuntia latine expressa, in lucem edidimus, alia pauca juvat vobis praebere ex quibus argumentum sumitur latinum sermonem —qui ad res hodiernas exprimendas adhibetur— etiam nunc vigere:

Hypocaustum nuntiatur: FORTIS	Conductores operibus aedificandis: URBIS
Vestes: PAX	Currus onerarius ad res transportandas: HISPANIA
Pullus tostus: PROSIT	Pulvis ad vestes detergendas: NOMEN
Horologium: OCTO	Interula: PETRONIUS, ELEGANTiarum ARBITER

**A die XXIV ad XXIX mensis augusti hujus anni, consociatione** *Classicorum Studiorum* moderante, Pennsylvaniae ad Philadelphiam, convenitus peragetur internationalis. Praecipua quae agitabuntur argumenta, de tragedia erunt graeca, de Homero, de heroica Graeciae aetate, deque disciplinis auxiliaribus —de archaeologia, Epigraphia, Papyrologia— quae ad cultum classicum illustrandum vel interpretandum maxime proficiunt. Oratio auspicalis a clmo v. R. Carpenter habebitur; clmus. v. P. Romanelli contionem, qua congressus finietur, habebit.

**Inventa Archaeologica.** — Post multos labores et operosas effossiones a peritis factas, tandem vetus Saepinum —urbs romana clarissima quae in medio Samnio erat sita— quaeque, multas abhinc aetates cultu miro uberiique floruit, sese ostendit. Eminet inter alia monumenta digna quae memorentur porta Bojana, inscriptione Tiberii et Drusi coronata atque duabus captivis barbaris ornata, Forum cuius pavimentum integrum est, Curia, Capitolium, Basilica, Thermae, theatrum cet.

—Nuper sub mari et prope Valentiam ab hominibus subaquaneis mirifica inventa est statua graeca ex aere facta, quae ad saeculum primum a. Ch. n. pertinet. Alta 1'40 metra, adulescentem exprimit nudam. Haec statua singulari arte facta promissum habet capillum cincinnatum, nasum rectum, labra venusta. Crus dextrum ei deest. Exemplar ita est unum ut omnes consentiant nullum aliud ei par ad litora Hispanica esse inventum.

**Cum hoc anno clarissimus humanarum litterarum cultor Kurt Latte septuagesimus aetatis suae annum compleverit, commentarii quibus est index *Philologus* integrum fasciculum tanto viro dicarunt hac latina inscriptione:**

KURT LATTE  
 philologo sagacitate doctrina judicio integritate eximio  
 juris graeci religionis Graecorum et Romanorum  
 lexicographiae antiquae peritissimo  
 quintum decimum lustrum feliciter ineunti  
 hunc fasciculum Philologi sacrum esse voluerunt  
 editores et scriptores

Sub photographia autem haec leguntur grandioribus litteris  
 PORRIGIT HANC FESTIVA COHORS, VENERANDE, COROLLAM:  
 ACCIPE SINCERAE PIGNUS AMICITIAE.  
 HOC VOTUM EST: LONGUM VIVAS CLARUMQUE SECUNDO  
 OMINE PERFICIAS QUOD MEDITARIS OPUS

*Philologus* 106 (1962)

**Fabulae Latinae et Graecae Ostiae in Theatro Romano ad antiquitatem classicam spectantes — magna audientium frequentia — in scaenam proditae sunt. Socii coetus qui inscribitur «Theatrum Piraeum», singularem artem praebentes fabulas quibus est nomen *Eumenides*, *Electra*, *Medea* sermone graeco hodierno egerunt. Tanta fuit vis gestusque histrionum, tanta ars mimica ut animos revera spectantium commoverint.**

—Eodem Ostiae theatro romano ab actoribus romanis datae sunt fabula L. Annaei Senecae «*Apolocytosis*» nomine et Plauti comoedia cuius est titulus «*Aulularia*». Est quod laetemur et classicis linguis fortunatiora tempora optemus.

**Supremum diem obierunt: — De nuntio nobis acerbo litterisque classicis luctuosissimo certiores facti sumus: Hugo Henricus Paoli, vir ille litterarum latinarum doctissimus praeclarissimusque in Universitate Genovensi Professor, die XXV mensis Novembris anno MDCCCLXIII de vita migravit. Cujus tanta fuit ingenii fecunditas, tanta copia ut de historia, institutionibus, de re grammatica multa summa perspicuitate et concinnitate scripsit et in lucem dederit. Quis non venustissimas climi. Paoli legit narratiun.**

culas ad docendum aptissimas et ad oblectandum? Fuit etiam elegantissimus poëta qui modo dicendi nitido, numero, gravi, lepido plurima condidit carmina. Alterum eum fere Vergilium dices, divino quodam spiritu inflatum

—Helsinchii in Finnia clmus. vir Joannes Hildegard obiit. Qui vir eminentissimus fuit latinarum litterarum cultor, commentariorum quibus est index «Arctos» conditor, nobilissimusque Studiorum Romanorum Instituti socius.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

## Notulae de Conventu Argentoratensi

Conventus vivae latinitatis aliquid grave p[re]se fert. Socii omnes humaniissimi viri et feminae faciles sunt ad gratam amicitiam et comitatem; inter socios undique convenientes, amore latinitatis affectos, celerime oritur amicitia, qua quisque similem sibi videntes magnopere gaudet.

Quaedam suavissimae memoriae hic meminisse juvat, de quibus, litteris indulgens, amicos certiores faciam.

**Die Lunae, Sept. II.** — Meridies adest; fine colloquiis imposito, socii autorhaedam publicam ascendimus, qua vehemur ad domum Magistrorum Universitatis, Summum Magistrum omnes salutatum. Hinc inde compulsi, sermonem cum viro, affabili vultu, consero. Undenam tu venisti? Ego sum Graecus. Pro Deum immortalem! Hicne est vir hellenicus? Iterum aspicio: hic vultus, haec facies mihi romana fit; ejusdem generis mediterranei sumus; loquerisne latine? Cui sermoni adhibendo sunt ei quaedam difficultia. Loquar graece: χαῖρε, Κόπε; verba miscemus, et sic amice consociantur verba latina et graeca et gallica, quibus satis nostram aperimus mentem. Ille erat Theseus Tsannetatos, doctor in Universitate Atheniensi. Tunc ille: ecce Στέφανος, filius meus, qui scholas frequentat in Universitate Argentoratensi. Ω γενναῖος, quantum gaudeo te videntes. Nisi fallor, nunc primum viros graecos video, quos dulces, humanos, modestos esse sentio. Conventus latini sermonis totum «mundum classicum» conjungit. Domum jamjam intratur, illos amico meo Jacobo Sidera monstruo, ut et ipse eorum amicitia fruatur. Exinde inter colloquia Conventus, patrem et filium videbam summe intendententes iis quae dicebantur, die autem Mercurii, Theseus diserte locutus est de Latinitate in Hellade.

**Die Mercurii, Sept. IV.** — Vota jam prolata sunt; Urbis consul Petrus Pflimlin, in Domo Municipalis nos exspectat. Pedibus vias argentoratenses lustramus, ac ne de recta via recedamus aliquos viros praetereuntes interrogamus, tandem locum invenimus. Cupimus Pflimlin videre; id tamen nobis

non licet. Magnus plane vir, pluribus rebus detentus, nos excipere nequit; inde «alterum se» mittit, qui nomine suo nobis «valete» dicat.

Interea sermones miscentur, nunc jam faciliores et amicitiiores post tri-dui commorationem in civitate, praesertim cum discessus jamjam immineat. Quae est illa spectata femina quae cum Patre Caelesti loquitur? Ille me monet: Magistra latinitatis in Jugoslavia, quae sero venit ad Conventum, cu-jusque proinde nomen in tabulis non prostat. O Domina spectassima, illa in natione, cuius multa ignoro, vigetne floretque latinitas? At illa comis, rectissime loquens, de studiis, de rebus politicis deque oeconomicis suae regio-nis me admonet luculenter, ne de suis revertar ignarus ad mea.

Egredimur. Dies in vesperum declinat. Vespere autem fit cena communi-nis in Domo Aubet. Nunc solus iter capio ad Plateam Kleber. Ecce virum non mihi ignotum se offert. Undenam? Ex Africa Meridionali, Viljoen G. van N., magister in Praetoria. Statim de suis loquimur: Domine, parce mihi, nolle tibi molestus esse, sed, quid in tua regione de discrimine albos inter et nigros? Ille tunc rem narrat; haec pugna non est ut in diariis exponitur; quaestio est perantiqua, implexa..., pacem vol mus, non tamen sufficit hanc optatam rem velle, aut nominare; omnes cupimus ad exitum pervenire. Et presse facta aperit, quibus nunc demum intellego non leviter homines judi-candos. O quam humana latinitas, quae mihi viam pandit ut fratres dissitos proximos habeam eosque melius judicem!

En, semihora restat ante cenam; visne ad cauponam sedere, dum aliquid bibimus? Ita sane. Alios videmus socios jam sedentes, Batavos, Gallum et nos. Potum «Coca-cola» petimus alii, alii cervisiam, aliis nivatam potio-nem, et amice bibentes de claris scriptoribus loquimur. Cito fiet cena: Bata-vus meminit: «nunc est bibendum» Horatii; Gallus, vir lenis verbo atque barbatus, illa commemorat: «Lugete, o Veneres Cupidinesque» Catulli. Et rem miram videres, sequor: «et quantum est hominum venustiorum»; alias: «Passer mortuus est meae «puellae», donec laeti omnes gaudemus, eodem litterarum gaudio, horam cenandi exspectantes. Quid tandem de cena? Con-ventus fuit corona amicitiae; cena uberrimus fructus amicitiarum. Vina spu-mantia ora solvebant quibus dulces nectebantur sermones. Ad finem vergunt dapes; humanitate, latinitate, musis omnes gaudemus. Post annos licebit iterum vultus amicos videre?

Fiunt nunc sollemnes contiones. Exsurgunt poëtae; alumnus quidam ar-gentoratensis populos omnes qui convenerunt distichis memorat. Alii reci-tant. Nihil tamen altius mihi in mente repostum manet quam Mangeot, lae-tus vir, quem senecta non curvat, delicias praebens sua sequentia, qua tan-dem omnes nos fecit una voce, illo praecedente «Gaudemus igitur..., vivant professores» animo dulci simul et amaro, cantare.

JACOBUS FABREGAS  
In Seminario Barcinonensi Professor

# Epistularum inter socios commercium

P. Caelestis Eichenseer ad me scripsit summo se studio perlegisse quae P. J. Sidera de Conventu Argentoratensi in PALAESTRA LATINA, mense decembri anno 1963. accurate narravit. Cumque in eo Congressu de voce quae est rail - riel in latinum vertenda quaestionem habuisset doctor Rambaud, rogavit P. Caelestis quam vocem latine adhibendam proferrem. «*Multa jam vidi, inquit, nomina proposita, sed nondum rei vere aptum inveni...*».

Ad quem pauca rescripsi cum diligentiore studio rem intra paucos dies perscrutari cuperem deque ea in PALAESTRA LATINA disserere. Quod lectores me fecisse in adnotationibus superioris disputationis cui index Iter tramine feci, intellegent.

Cum autem hanc parabam disputationem ipse P. Caelestis, diligentissimus investigator, ad me iterum iterumque scripsit, cuius infra epistulas libenti animo vulgamus. Neque mihi restant quae disputationi addam. Ergo ut mea fert sententia haec tenenda videntur:

via, linea - voie - binario - Geleis erit latine: «curriculum»;  
quae vox ex allatis verbis libri qui inscribitur Neuer ORBIS PICTUS soliditus confirmatur, eaque nonnunquam idem valebit ac «ferrivia, via ferrea, via ferrata»; -orbita, a P. Caelesti proposita, restat ambigua, ut videtur:

rail, riel, carril - rail - rotaia - Schiene erit: «rotale, is»;  
recole qua ratione Avenartus novum vocis sensum explicet; quod si vocabulum non placet, aut ad orbile redeamus oportet aut currile, is inducamus; cum autem adjективum «currilis, e» significet 'ad currum pertinens', novus sensus erit 'quod ad currum [ferriviarum] spectat, quod currut subditur, supra quod currus vehitur, decurrit'. Alta, ut orbita, lira (vel sulcus), ductus ferreus, sunt voces quae rem ipsam parum defintant, aut in quibus sensus anceps maneant.

JOSEPHUS M.<sup>o</sup> MIR, C. M. F.

...Cum de via ferrata agitur, duae res distinguantur necesse est:

germanice Geleis, hispanice via, lusitanice via ferrea,  
italice, binario, francogallice voie (rail:),  
anglice, line of rails, neograece σιδεροτροχία, γραμμή.

Ab hac notione discernendum est, quod dicitur:

germanice Schiene, hispanice carril, riel,  
lusitanice carril, italice rotaia,  
francogallice rail, anglice rail (the metals).  
neograece ράγια, αιδηρά ράβδος.

De hac re haec, quae sequuntur, nomina jam inveni, quae cuncta mihi —cogor hoc confiteri— parum probantur:

- SOCIETAS LATINA 5 (1937) 34: *longurius ferriviarius* (Lis).
- PALAEASTRA LATINA n. 153: 26 (1956) 24, n. 14: *rotalia* (AVEN.).
- PALAEASTRA LATINA n. 157: 27 (1957) 30-33: *birotalia* - *rotale* (AVENARIUS · MIR).
- PALAEASTRA LATINA n. 158: 27 (1957) 92: *gemini axes, gemini longurii, curriculum rotarium* (HOLZER).
- PALAEASTRA LATINA n. 163: 28 (1958) 408: *rotale* (AVENARIUS).
- PALAEASTRA LATINA n. 145: 24 (1954) 175: *rotale* - *parum probantur orbile et orbita* - (AVENARIUS).
- VITA LATINA n. 8 (Sept. 1959), p. 18 (adn. 4) per *lineas ferreas* (HULTON).
- VITA LATINA n. 19 (Mai 1963), p. 56: *ductus ferreus* (JOSEPH).
- BACCI, *Lexicon* 4, Romae 1963, p. 318: *via ferreis ductibus (axibus) (con-)strata*  
p. 320: *binarii gemini ferratae viae axes*.

Id autem, quod est vulgo *G(e)leis, via (férrea), binario, voie, line,* latine aliquatenus dici potest 'orbita'.

Sed id quod est *Schiene, carril, riel, rotaia, rail*, nondum est eo nomine latino denominatum, quod rei ipsi signandae vere aptum est [cfr. PAL. LAT. n. 184: 33 (1963) 207: M. Rambaud]. Nam, ut cetera mittam, nomine «*ductus*» res ipsa vel saltem similis non significatur (cf. ThLL V, 2170, 30-2174, 39). Similiter «*carpentum rotale*» vel «*machina rotalis*» res sunt rotis instructae, non viae vel semitae modo speciali formatae, super quas rotae currunt ferriviariorum irrotantur (cf. MIN. FEL. 3, 6 testam piano situ digitis comprehensam... super undas irrotare. CASSIOD. *in psalm. 58, 5, 131* (CChL 97, 522) potest quis currere et non dirigi, ut illi, quorum vita tortuosis semitis irrotatur [ThLL VII, 2 443, 1-3]).

En auctorum antiquorum verba ipsa:

CAPITOL. *Opil 12, 7* (ed. Hohl, Lipsiae 1955, p. 211, 7) tribunum, qui excubias deserì passus est, carpento rotali subteradnexum per totum iter vivum atque exanimum traxit.

SULP. SEV. *dial. 1, 13, 2* (CSEL 1, 164, 27) bovem unum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere.

MARCELL. *chron. II* (MGH auct. ant. 9, 1) p. 97, anno 509, 12, § 2. Portus Iuliani undis suis rotalibus (*var. l. rotabilibus*) machinis prius exhaustus caenoque effosso purgatus est

VITAE patr. *Iurens. 1, 18* (MGH script. rer. Merov. 3, p. 142, 19). Hinc enim Sabinianus sanctus cum die quadam, ...ad cursum rotalis machinae vellit diligentius inaltare, dumque stramenta densius comprimunt intra saepes eventilatus e paleis ingens coluber, mox ut sese ostentavit, occuluit.

VITA Marcell. *Ebred. 17* AASS April 2. p. 754<sup>C</sup> aspiciunt crucem, quae cuidam aedificio superposita habebatur, in seipsam totam commoveri et in rotali turbine gyrum in gyrum converttere (*saec. IV ex.*).

Cf. *Archivum Latinitatis medii aevi* [Paris] 9 (1934) 157: *Les vies des pères du Jura* § 28 (adjectifs): *rotalis, tournant*.

SOUTER Alexander, *A Glossary of Later Latin to 600 A. D.*, Oxford 1949, p. 358: *rotalis* (adj.) *wheeled*.

Hic loci, quos attuli, sunt omnino omnes, qui in materiis collectis *Thesauri linguae Latinae* habentur. Sed ex his verbis allatis satis apparet adjectivum, quod est «*rotalis*, -e», non esse ei rei signandae satis aptum, quae nobis est *Schiene* (*riel*, *carril*, *rail*). Mea quidem sententia varia lexica etymologica linguarum romanicarum inspiciantur necesse est, quibus singulae radices vocabulorum romanicorum dilucidius cognoscantur. Denique radice rei aptiore eruta novum nomen fingatur.

**Ex alia epistula:**

De ea autem re, quae nobis est 'Schiene', vobis 'riel, carril' in libro quodam vetustiore haec inveni:

GAILER, J. E., *Neuer ORBIS PICTUS für die Jugend*, Reutlingen 1833, p. 537: Eisentäbnen und Dampfwagen

Curricula ferrata

et currus vapore agitati

Curricula ferrata, quibus in Anglia utuntur, duabus orbitis ferreis constant, e plana ferri massa factis, quarum orae prominent, ne rotae declinare possint, aut orbitae illae e convexis ferri massis compositae

p. 538: et rotae oris / vel sulcis instructae sunt, quibus in curriculo continentur aut diriguntur.

Johannes autem Carolus Pulchrimontanus per litteras die XI mensis Januari anno 1964 datas rescripsit haec: «Vocabulum, quod est *Schiene*, etiamnunc me male habet. Non malum est, quod Baccius excogitavit: «*ductus ferrei*». Cogitavi etiam de *lira*, -ae, quae vox cum nostra «*Ge-leise*» cognata videtur esse (cf. WALDE-HOFMANN). Pluraliter: *lirae*, -arum». —Nuperrime (28. Jan. 1964) addidit: «*lirae ferreae*» scribatur.

Haec igitur habui, quae tibi necessario scriberem. Sed mihi et 'orbita' et 'lira' parum placet. Quod autem ad vocabulum 'lirae' attinet, nondum in schedis *Thesauri linguae Latinae* singulos locos litterarum latinarum perscurtari potui.

Incolumem te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi pridie Kalendas Februarias  
anno MDCCCCLXIII.

# BIBLIOGRAPHIA

J. F. NIERMAYER. — *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*. Léxique latin médiéval-Français-Anglais. Fasciculus 10, «prosedere» - «sequipeda». E. J. Brill, 1963. Leiden, Netherlands. Oude Rijn 33<sup>a</sup>., pag. 865-960.

Decimum hunc nuper accepimus fasciculum nobilis lexici quod inscribitur «Mediae Latinitatis Lexicon Minus», quod sedulo sollerterque composuit clarissimus vir J. F. Niermeyer, in Universitate Amstelodamensi Professor. Opus hoc magni quidem laboris, quod jam multos annos, in lucem quasi articulatim in sapientium voluptatem editur.

In hoc fasciculo auctor explicandas suscepit, historia duce et linguarum studio, voces Mediae Latinitatis a «prosedere» usque ad «sequipeda». Cui rei peragendae centum fere paginae adscribuntur.

Insunt lexico Doctoris Niermeyer vocabula, quorum explicatio absolutam dicas monographiam, ut «publicus, querela, ratio, reclamare, rectitudo, regalis, relaxare, respectus, salvamentum, securitas, sedes, senior»... Colliguntur etiam voces originis germanicae, ut «punga, rachinburgus, rascia, rasta, raubo, richus, sala, scara, scuria»... Neque celticae desunt voces, ut «riga, rusca»; et Anglo-saxonum, ut «scira, selda», et slavonum, ut «scotus»... Voces vero hellenicae numero plurimae atque eae facile accommodatae. Sed et originis ignoti vocabula notantur, ut «repa (rebo),

rafica, sarga»... Quam citissimum cursum lexici Doctoris Niermeyerii exoptamus in doctorum commodum.

MERKELBACH, REINHOLD. — *Roman und Mysterium in der Antike*. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, Muenchen und Berlin, 1962. Pag. 348.

Notissimus apud cultores humaniorum litterarum est Professor R. Merkelbach, qui et alios praestantiores edidit libros, quorum inscriptio «Untersuchungen zur Odyssee» atque «Die Quellen des griechischen Alexanderromans», in eadem officina libraria C. H. Beck, quae de arte typographica bene meruit.

Opus dices quasi inspectio scrutatioque pristinae religionis. Etenim epos, lyrica, drama in religione initia, historia duce, habent. De Romanensis vero fabulae origine, apud sapientes disputatio intercedit; ut plurimum, religiosam originem respuunt.

Jam vero auctoris propositum in hoc opere est: monstrare commodum religiosam originem in pristina Romanensi fabula. Quo quidem animo ductus, antiquissimas religionum narrationes suscipit explicandas traditionis monumentorumque instrumentis. Clarissimus vir R. Merkelbach animum pristinorum Romanorum religiosum luculente patefacit.

Multae tabularum pictarum paginae librum jucundiorem reddunt, apta technicae artis explicatione adjuncta. Haec

lucubratio solidae eruditionis, praestantis ingenii, acrioris criticae in primis antiquitatis magistris commendanda de argumento atque notione religionum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GILBERT e COLETTE CHARLES-PICARD.

— *I Cartaginesi al tempo di Annibale.*  
Traduzione di Mario Andreose.  
«Il Saggiatore» 1961, Milano, pag.  
300.

Primigenia libri inscriptio: «La vie quotidienne à Carthage au temps d'Annibal»; italica vero interpretatio pulchre elaborata est ab egregio scriptore Mario Andreose.

Hujus libri auctor —cujus pater longe praestantissimus fuit inter archaeologos Galliae— in Graecia infantiam duxit, Parisiis vero studia complevit. In Sorbonnensi Universitate laurea donatus in Facultate Litterarum. Modo autem Professor est Historiae Romanae in Universitate Argentoratensi.

Sic operis cursus procedit: Introductio; I. Urbs; II. Civitas carthaginiensis —cives primores—; III. Gentes populares, industria, quaestio socialis; IV. Vita familiaris; V. Mercatores et commercium; VI. Exercitus; Praecipua itinera.

Maximi sunt momenti in hoc opere 21 photographiae et 2 chartae geographicae de pristina arte et historia. Bibliographia selecta, indices accurati, typographica expressio maxime praestans.

LUKAN, KARL. — *Land der Etrusker mit 125 Fotos von Gerhard Klammet und anderen Fotografen, sowie 36 Zeichnungen.* Verlag Anton Schroll et CO. Wien-Muenchen, p. 144.

Potius quam ad legendum liber, ad conspiciendum mirandumque est series photographiarum, quarum quidem propositum sub oculos lectorum terram Etruscorum subicere.

Centum et viginti quinque photographiae ibi colliguntur, tota typographicae artis cura expressae. Apposita explicatione de historia, archaeologia, mythologia civitateque clarissimus vir Carolus Lukan eruditus rem totam enodat.

Hunc vivum vividumve librum quasi nuncupares. Ubivis archaeologiae scientia notitiaque, ubivis photographiae artis splendor, ubivis typographicae technices sollertia et industria. Nobilis illa collectio «Neun Sammlung Schroll» monumento hoc prorsus honestatur, cui exitum quam felicissimum ominamur animoque seculo conicimus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

BICKEL, ERNST. — *Lehrbuch der Geschichte der Roemischen Literatur.* Zweite, durch Zusaetze erweiterte Auflage. Carl Winter - Universitätsverlag, Heidelberg, pag. XVI-560.

Maximi quidem momenti est hoc opus, in illo corpore «Bibliothek der Klassischen Altertumswissenschaften», ab egregio Professore Dre. J. Geffcken condito. In quo quasi intimus sensus et animus populi romani —ejus nunc diceres altam psychologiam—, in cursu densarum paginarum hujus modi voluminis quasi coram, litterarum et historiae ope, appareat.

In pristinarum classicorum litterarum Historia Doctoris Bickel apud sapientes praestans est auctoritas, cui scilicet in-

vestigandae multos studii et industriae annos intendit. Volumen hoc densum, amplum, criticum, in argumento absolutum. Vel minuscula mihi libri synthesis —fateor— neque facilis, neque possibilis.

Illud tanquam operis itinerarium: De universitate atque summa litterarum romanarum cum earum historia (pp. 1-84). Periodi Historiae litterarum romanarum cum linguae natura (pp. 85-290). De singularibus rebus litterarum romanarum deque personarum nomenclatura et chronologia (pp. 291-535).

Praefatio de proposito et ratione hujus alterius editionis; accuratissimi indices auctorum et textuum, cum luculentiore praecipuarum rerum indice, quibus, inquam, opus maxime commendatur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

STEFENELLI, ARNULF. — *Die Volkssprache im Werk des Petron, im Hinblick auf die romanischen Sprachen*. Wilhelm Braumueller, Universitaets-Verlagsbuchhandlung G. M. B. H. Wien IX/66 - Stuttgart, pag. 156.

Primum volumen hoc in corpore «Wiener Romanistische Arbeiten», a clarissimo Professore Carolo Theodoro Gossen condito, collegis vero professорibus R. Palgen, A. Kuhn. Agitur hoc libro clari viri A. Stefenelli de dissertatione habita in Philosophica Facultate Viennensis.

In scriptis Petronii transitus appareat sermonis classici ad vulgarem, tanquam romanicarum linguarum materies fermentumve. Hac nostra aetate de latino sermone vulgari vel familiari a sapienti-

bus scriptum saepius est, eo nempe consilio ut romanicae hodiernae linguae in dies melius cognoscerentur in ipso fonte.

Bibliographia de re in hac lucubratione copiosa et selectissima est. Multa vocabula et dicendi rationes ex «Cena Trimalchionis» et ex «Satyricone» hic examini subjiciuntur, explicantur, cum hodiernis linguis romanicis conferuntur.

Extemplo vel minutissima res, accuratioribus indicibus ducibus, invenitur exploranda. Prospectus autem lucubrationis hic: Praefatio, bibliographia, abbreviationes, introductio, lingua vulgaris in opere Petroniano, index rerum, dicendi rationes, vocabulorum index.

PHILOPONUS, C. M. F.

R. PALMER, LEONARD. — *Mycenaeans, Aegean Praehistory in the Light of the Linear B Tablets*. Faber and Faber, 24 Russell Square, London, pag. 264.

Clarus vir L. Palmer munere Doctoris fungitur Philologiae Comparatae in nobili Universitate Oxoniensi; ejusdem est opus maximi momenti, cui titulus «The Latin Language». Hoc vero in libro lectori offert fructus investigationum Sapientium, superioribus his annis, in textibus graeci sermonis Mycenaeani; qui quidem verus stimulus est in ardua inquisitione rerum scientiae praehistoricæ.

In septem capita dividitur opus: I. *The Search for Pylos*. II. *The Linear B Script and its Decipherment*. III. *The Land of the Pylians*. IV. *The World of the Tablets*. V. *The last Days of Pylos*. VI. *The Tablets and Aegean Prehistory*. VII. *The Coming of the Greeks*.

Accurata tabula chronologica ad-  
jungitur, et opportunus nominum et ar-  
gumentorum index, et vocum index in  
Linearis B. Plures in cursu libri exstant lit-  
terarum et nominum configurationes,  
tabulae pictae, geographicae delineationes.  
Antiquitatis historici scientiaeque  
archaeologicae cultores sine dubio opus  
Doctoris L. Palmer laudabunt eique  
sedulam studendo navabunt operam.

DEVOTO, GIACOMO. — *Nuovi studi di stilistica*. Firenze, Felice le Monnier,  
pag. 246.

Haud pauci libri, iisque maxima sa-  
pientium laude cumulati, ab anno 1923  
a clarissimo artis litterariae magistro Ja-  
cobo Devoto exarati sunt. In quibus de  
phonetica latina, de lingua homericā,  
de historia linguae romanae, de intro-  
ductione ad grammaticam, de funda-  
mentis historiae linguisticae, cet.

Hujus autem novi voluminis meta  
haec est: «Espresso in modo ragionevole  
e coerente il rapporto che passa fra i  
concetti di *stilistica* e *critica lettera-  
ria*». Quae quidem artis litterariae lu-  
cubrationes consequuntur superiorem  
auctoris librum, cui inscriptio «*Studi di  
stilistica*» (Firenze 1950).

Missis praefatione et introductione,  
in quinque capita totum opus dividitur.  
I. Historia spiritualis. II. Historia intellec-  
tualis. III. Historia naturalis. IV. Tradicio-  
nes linguisticae et personarum stili. V.  
Traditio linguae litterariae italicae. Aptius  
libri cursus analyticō indice distinguitur  
atque explicatur. Argumenta generali in-  
dice ante oculos legentis commodius  
ponuntur. Quo quidem libro magno  
opere clarus scriptor Devoto inter huma-

niorum litterarum cultores extollitur et  
commendatur.

PHIOPONUS, C. M. F.

*Mittelalteinisches Woerterbuch*, bis zum  
ausgehenden 13. Jahrhundert. I.  
Band. Lieferung 6 -*applodo - arma-  
rium*. C. H. Beck'sche Verlagsbuch-  
handlung, Muenchen, MCMLXIII,  
pag. 802-960.

Magna animi laetitia hoc maximum  
latinitatis monumentum lectoribus nos-  
tris nuntiamus eisque vehementer com-  
mendamus. Opus maximi quidem labo-  
ris, studii, historicae disquisitionis, praes-  
tantissimis in re sapientibus ducibus at-  
que antesignanis. De editione curant  
Academiae Germanicae nobilissimae:  
ubique praestantium virorum ingenium  
et scientiam percipies.

Hoc autem sexto fasciculo primi vo-  
luminis, ea vocabula afferuntur, quae ab  
«*applodo*» usque ad «*armarium*» conse-  
quuntur. Superiorum fasciculorum viam  
et rationem *Palaestrae Latinae* no-  
runt lectores. Vocabulorum graphiae,  
archaeologiae, semanticae explicatio  
tota nostrorum temporum arte critica  
decorata est. Utinam et magnis itineri-  
bus hoc monumentum, Romanicae Phi-  
logiae quasi fundamentum, ad nos  
absolutum perfectumque cito perveniat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ANDRÉ, J. — *Ovide: Contre Ibis*. So-  
ciété d'Édition «Les Belles Let-  
tres», Boulevard Raspail, 95, Paris.

Scito hoc libello poëma illud Ovi-  
dianum «In Ibin» continetur, cum accu-  
rata gallica translatione, a clarissimo  
Professore J. André apte comparata, at-

que ab egregio latinitatis magistro A. Ernout auctoritate confirmata.

Carmen hoc composuit Ovidius, ultimis vitae sue annis. Callimachum imitatus, qui carmine ejusdem inscriptionis Apollonium Rhodium acerrime est insectatus: Hyginum quemdam, Augusti libertum, diris diis devovet, qui eum infamare conabatur. Poëma «Ibis» et «Halieutica», sunt carmina ovidiana superiora in exilio, quo dolore tristitiaque afficiebatur. De quibus Plinius haec scripsit: «Mihi videntur mira et quae Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine quod Halieuticon inscribit» (*Contr. IV*, 28).

Praestantissima introductio libro praeit (pp. V-XLIV), in qua fusius de tempore et editione carminis; de ejusdem intima compositione; de devotione; de mythologia et historia; de ambagibus dubiisque; de persona, quae sit Ibis; de pseudonymo Ibis; de relationibus inter duos Ibis; de scholiis; de operis momento; de textu; de editionibus. Paucis, plenum monumentum hic habes de iis, quae ad hunc librum referuntur.

SERAFINI, AUGUSTO. — *Virgilio: Antologia da tutte le opere*. Società Editrice Internazionale, Torino, p. 272.

Latinitatis cultoribus jam notus est clarus Professor A. Serafini, a quo exarata est «Storia della Letteratura latina», ejusdem Editricis Domus. Eademque via et ratione hanc Vergilii anthologiam vel florilegium auctor paravit.

Alumnis lycealibus in primis dicatur selectio. Quasi conspectus vitae vergiliane cursum aperit (pag. 3-6). Cujus in fine lepide, medii aevi rhythmico, Sanctus

Paulus fingitur invisens tumulum Vergilianum: «Ad Maronis mausoleum / Ductus, fundit super eum / Piae rorem lacrimae».

Selectio sane accurata et vivida, explicationes copiosae; textus latinus ex nobilioribus lectus editionibus; typographica excusio jucunda; tabularum pictarum series conquisitor. Operum Vergilii brevis introductio annexatur, qua alumnus in vatis mirandam musam commodius inducatur. «Cecini pascua, rura, duces» in nobilissimi poëtarum tumulo leges; quae et hic strictim perleges.

A. MARQUÉS, C. M. F.

BUECHNER, KARL. — *Studien zur romischen Literatur. Cicero*. Band II. Franz Steiner Verlag GMBH. Wiesbaden, p. 206.

Professor Doctor Carolus Buechner admodum peritus est in litteris romanis, sed provincia auctorum classicorum ei cordi est. Cujus opera edita quattuor voluminibus constant: I. *Lukrez und Vorklassik*. II. *Cicero*. III. *Horaz*. IV. *Tacitus und Ausklang*. Unumquodque opus selecto amplissimoque nominum, rerum, locorum indice locupletatur.

Hic autem corporis alter liber, romanorum scriptorum longe principi, M. T. Ciceroni, aliquatenus explicando exaratus est. En tibi merus libri conspectus: Cicero — prima ejusdem indolis ingeniique lineamenta. Conscriptio omnium prima. Tyrannus ejusque dissimilitudo in libro «De re publica» Ciceronis. Somnum Scipionis ejusque temporaria ratio. De Ciceroniano scripto cui t. «Laelius». Epilogus.

Opus nominum, rerum locorumque indice apte completur, quo et usus et argumentorum perceptio facilius in commodum legentium convertuntur.

TRISOGLIO, FRANCESCO. — *Ellade Cristiana: Antologia di scrittori greci cristiani*. Società Editrice Internazionale, Torino 1962, pag. 160.

Cultus noster occidentalis ortus est quasi e complexu antiquitatis et christianismi: litterae vero graecae palaeo-christianae, artis et religionis primarium sunt fundamentum. Optimo igitur consilio hanc graecam christianam «anthologiam» comparavit clarus vir F. Trisoglio, de litteris graecis bene meritus.

Liber autem commendatur amplio humano momento, argumentorum vi, materiae varietate, una cum selectorum locorum copia. Facile ibi graecarum literarum studiosus, cum plenitudinis tum unitatis notam distinguere potest.

Auctores autem ii selecti: Didaché (pp. 1-4). Sanctus Clemens Romanus (pp. 22-27). Athenagoras (pp. 28-30). Hermas (pp. 31-33). Ad Diognetum (pp. 34-37). Clemens Alexandrinus (pp. 38-45). Origenes (pp. 46-58). Sanctus Methodius Martyr (pp. 59-61). Eusebius Cae-sariensis (pp. 62-68). Sanctus Athanasius (pp. 69-75). Sanctus Cyrillus (pp. 76-79). Sanctus Basilius (pp. 80-93). Sanctus Gregorius Nissenus (pp. 94-102). Sanctus Gregorius Nazianzenus (pp. 103-124). Dydimus (pp. 125-128). Sanctus Joannes Chrysostomus (pp. 129-156). Singulis selectis locis — qui et copiose explicantur — brevis notitia praedit.

Libri forma, exhibitio, dispositio: optima sane. Si operi vocabularium adde-

retur, praecipua studiosis opera tribueretur.

A. MARQUÉS, C. M. F

LUCK, GEORG. — *Die roemische Liebes-elegie*. Carl Winter, - Universitätsverlag, Heidelberg, pag. 244.

Hic liber anno 1959, lingua anglica editus est ab Officina libraria Methuen, Lundunii, hoc titulo «Latin love Elegy». Nuper autem a claro viro G. Luck, ab integro recognitus, germanica translatio-ne est excusus.

Nostra aetate — quod auctor in anglica editione innuit — saepius et editi et conversi sunt in linguas vernaculae Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius. Desiderabatur autem tanquam conspectus prospectusve de elegiaca poësi apud Romanos.

Hujus modi porro quasi delineatio scito hoc libro, in aedibus Caroli Winter nunc typis expressus, ante oculos ponitur. Verum florilegium de «Amore» apud vates romanos est opus clari Professoris Luck, qui rem arte, studio, critica sollertiaque explicat atque detegit.

Et latini vates eorumque de «Amore» carmina sub trutina ab scriptore exiguntur. Ingenue fatetur auctor, nullo pacto hoc opus evolvendum, sed legendum.

BASSOLS DE CLIMENT, MARIA - DOLÇ, MIQUEL. — *Tàcit: Històries IV*. Text i traducció. Fundació Bernat Metge, Barcelona, 1962.

Hujus voluminis textus respondet P. Cornelii Taciti Historiae libris IV-V. Eadem via et ratione quam in ceteris, volumen editur a clarissimo linguae latinae

Doctore M. Bassols, collega Professore M. Dolç. Plane norunt lectores horum auctorum cum sollertia tum ingenium. Quare et accuratus *textus latinus*, et accurata catalaunica *interpretatio*, et *textus criticus* diligent studio paratus.

Opus recensuit praeclarus Professor Josephus Vergés, in consilio moderandae Fundationi «Bernat Metge» insignis socius.

**BALASCH, MANUEL, Pvre.** — *Baquilides: Odes*. Text revisat i traducció Fundació Bernat Metge, Barcelona, 1962.

Duobus de Juvenalis saturis editis voluminibus in corpore «Bernat Metge», nuper hoc de Bacchyllidis odis studiosis offert clarus Professor Em. Balasch. Textum comprovavit Doctor Josephus Alsinia.

Praecipua introductio anteit: de Bacchyllidis biographia, de poësi, de graeca arte, de textu, de nota bibliographica. Deinde *textus graecus odarum*, una cum conversione catalaunica scienter elaborata. Fragmenta posteriore loco colliguntur cum introductione generali, critico apparatu, notis.

**ASTA, IRENE SULZER.** — *Zur Wortstellung und Satzbildung bei Pindar*; O. I, 105. Aschmann et Scheller AG Buchdruckerei zur Froschau, Zürich, pag. 104.

Scriptum hoc de verborum serie deque structura phraseos in poëta Pindaro, ut dissertatio proposita est in Philosophiae Facultate Universitatis Turiginae (Zürich), magistro et duce Prof. Doctore Fritz Wehrli.

Qua quidem lucubratione laurea Philologiae Classicae donata est eminens artis musicae lyricaeque cultrix Irene Asta S. Ratione fere intuitiva Pindari sermonem distinguit atque scite explicat. Difficilis, ut omnes norunt, Pindari locutio poëtica. Nobilis illa scriptoris Voltaire de vate Pindaro sententia: «Toi qui modulus savamment/ Des vers que personne n'entend,/ Et qu'il faut toujours qu'on admire».

Hoc in opere multa Pindari studiosus duce I. Asta disset: ibi de modo musicali, de metrica versuum, de nativa forma archaica, de licentia poëtica distinctius atque eruditius agitur.

Propositionum figurae praecipuae apud Pindarum, duabus partibus encleantur: altera faciliora adhibet exempla, morphologiam graecam fere totam illustrans; altera vero de compositis linguae elementis curam sedulam significat.

PHILOPONUS, C. M. F.

**C. M. LERICI.** — *Italia sepolta*. Lerici Editori, Milano, via S. Tecla, 5, 1962, pag. 120.

Thesaurus archaeologicus inestimabilis pretii, remanet adhuc sepultus in italico solo, pristini cultus classici quasi recondita et veneranda arca. Quare privati viri saepe proprio marte beneficium sibi, Rei publicae Italicae juribus laesis, faenerari intendunt.

Hoc vero in libello non nullae superiorum annorum conscriptiones in actis diurnis vulgatae colliguntur, in quibus periti rei archaeologicae in crimen adducunt istum privatorum virorum usum vel abusum. Auctorum lucubrationes eduntur, quorum propositum est hunc thesaurum Italicae gentis archaeologicum

servare atque in futurorum aetatum monumentum patefacere.

Tabulae pictae selectae volumen exornant. Sedecim sunt dissertationes ex quibus tres anglico sermone, tredecim italico conscribuntur.

Bene compactum opusculum quod scita fronte Editores decorarunt.

PHILOPONUS, C. M. F.

BRUGIONI BENEDETTO. — *De vertice lumen*. Antología latina. S. E. I. Torino 1961, pag. 468.

Optimum librum a cl. v. Benedicto Brugioni conscriptum *Societas Editoria Internationalis* evulgavit. Auctor cui maxime cordi sunt Vergilii poëmatia atque Ciceronis opera —duo scriptores qui de vertice summo nitidum effundunt lumen— selecta horum scriptorum classicorum collegit eaque notis et commentariis uberrimis illustravit.

De Vergilii Aeneidos XII libris nobis excerpta offert —fere totam dices Aeneida— nam partes praetermissae summario supplentur. De Cicerone cl. v. Brugioni tres orationes —pro Ligario, pro rege Dejotaro, in Marcum Antonium orationem Philippicam quartam— excerptis quibus nonnullae adduntur epistulae quae ab auctore in epistulas familiares, commendaticias, publicas distribuuntur. Praemittitur cum Vergilii tum Ciceronis de vita atque operibus summa. Praeterea scriptor plena rei cognitione, Vergilii poëticam Ciceronisque vitam domesticam et artem oratoriam sollerter, subtiliter exponit.

Opus ergo optimum editum est, quod Gymnasiis Lyceisque —magistris et alumnis— magno erit emolumento.

COLOMBO RENATO. — *L'ombra non è che l'istante della luce; Liriche*. Intellisano Editore, Milano, 1962, pag. 48.

En opella quae paucis pagellis bella lepidaque carmina, lingua italica pleraque condita, continent. Quae si legeritis maximae sine dubio vobis erunt voluptati. Triplex est opusculi divisio; cujus hi sunt indices. *Sud antico* quo colliguntur decem poëmatia ad aetatem —uti videtur— classicam graecam spectantia; *Inserimenti* seu tredecim carmina generis varii; *Liriche tradotte*, seu carmina quattuor lingua hispanica, gallica, britannica, Zamenhoffiana facta. Hoc exempli causa venustum legite a cl. v. Renato Colombo compositum poëma cui *Natale* est index:

Si è acceso il cielo  
in una stalla.  
Vagili d'amore  
che nutrono i millenni.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

CURANTE INSTITUTO ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS. — *Certamen Capitolum XII*, pag. 81 et *XIII*, pag. 50.

Hi fasciculi, qui curante *Instituto Romanis Studiis provehendis* singulis annis eduntur, praeter *Acta Certaminis* commentationes illas continent quae in Certamine Capitolino praemio ornatae sunt. Quorum in primo fasciculo lucubratio evulgatur cl. viri Alberti Albertani, cui est index «*Liberi viri*», Mieclislai Brozek, Edilii Marelli. In altero fasciculo seu *XIII*, scriptum colligitur cl. viri Nili Casini quod appellatur «*De Herculanensibus rebus diebusque novissimis*» seu vicissitudinum Communitatis

christianae Herculani vitam agentis polita descriptio ante Vesuvii eruptionem, et Josephi Morabito commentatio cuius titulus «*Brevis in lacu Lario mansio*», plena ingenii acumine et genere dicendi elegantissimo conscripta. Dum ergo hi floreat scriptores, sermo latinus vividus semper erit, vigens, hodiernus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

Narrationes vel themata, quae exercitatio um libris continentur, permultis lepidisque illustrantur imaginibus, ornanturque praesertim optimis, ditissimis commentariis. Librorum Exercitationum initio series seu index vocabulorum proponitur quae dicuntur «basica» quibus facilime a pueris fiat versio. Prosperus existus his libris ominamur.

**GAUTREAU MAURICE et ROSSET CHARLES.** — *Grammaire latine*. Les Éditions de l'École, 11 rue de Sèvres. Paris 1963, pag. 276.

**ROSSET CHARLES.** — *Precis de grammaire latine*. Les Éditions de l'École. Paris 1962, pag. 148.

**ROSSET CHARLES.** — *Exercices latines 6.<sup>e</sup>* Les Éditions de l'École. Paris 1962, pag. 215.

**ROSSET CHARLES.** — *Exercices latines 5.<sup>e</sup>* Les Éditions de l'École. Paris 1962, pag. 277.

Clmus, vir Carolus Rosset latinorum litterarum cultor eximus, indefessusque earum propugnator, qui plurima de re scripta jam edidit, nobis praebet Grammaticam latinam generalem, Grammaticae latinae epitomen et duos libros Exercitationum ad pueros primorum annorum Gymnasii instituendos destinatos. Auctor —cujus nonnulla hoc genus opera et tractaveramus immo et ad scholam adhibebamus— eadem via seu ratione qua in superioribus utilit. Leges grammaticae quae maximi sunt ponderis, litteris grandioribus notantur; quae vero parvi sunt ponderis, litteris minoribus. Quo fit ut magister et alumnus ad leges principaliores animum praecipue attendant.

**LEFAURE MAURICE-JEANJEAN MARCEL.** — *Galli duo*. Éditions Mentor, No-gent-sur-Marne 1963, pag. 248.

Agitur de libro re vera novo quem si aliquantum volveris, immotis palpebris a capite ad calcem, leges. Dicere possumus hoc bellissimum, ut auctor ipse affirmat, esse «une lecture assidue et captivante». Opus in partes tres distribui facile potest: quarum prima —a pag. 8 ad 33— decem lectionibus constat, in quibus declinationes, nomina adjectivo et verba simplici vividoque modo proponuntur; in secunda parte —a pag. 35 ad 195 latino sermone scito facilique captu— iter describitur duorum adulescentium Gallorum qui villam, legionem, domum aliaque antiqua lustrant. Quae pars singulari arte et paedagogia scripta sunt et disposita. Textus notulis, commentariis, imaginibus illustratur. Tertia libri pars —a pag. 197 ad 243— exercitationes amplexatur duobus ordinibus distributas. Opus brevi lexico finitur. Exordium praemittitur a cl. v. Jacobo Perret conscriptum in quo maximis laudibus illustrissimum Mauricum Lefaure sociumque Marcellum Jeanjean cumulat. Quibus laudibus clarissimos hoc viros nos quoque ex animo afficimus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

VIRGILIO-HERRERO VICTOR JOSE. — *Eneida II* Editorial Gredos, Benito Gutiérrez, 26, Madrid 1962, pag. 111.

In promptu habes editionem Vergilii «bilinguem», ut ajunt, a cl. v. Victore Josepho Herrero in Instituto Conchensi Professore factam. quae maximo auxilio erit alumnis cum de libro agatur qui in Collegiis et Institutis usu receptus sit. Via, quam hoc in libro adhibet auctor, communis cum aliis libris est qui hac ipsa ratione scripti sunt. In pagella legenti laeva textus Vergilii, cui subjacet versio hispanica quam «litterariam» seu liberam appellare possumus. Altera pagella divisa est in duas series quarum in interna textus ordine proponitur «litteralis», seu versio ad verbum facta.

Auctor, ut melius aliquorum vocabulorum sensum explanet, verba addit parenthesi clausa. Versio praeter aliqua parvi momenti, optima nobis videtur.

VIRGILIO. — *Eneida, libro II*. Introducción, Edición y Comentario de Echave Sustaeta. Instituto Antonio de Nebrija, Madrid 1962, pag. 175.

En, humanissime lector, magni ponderis et praestantiae librum quem tibi libenti animo offero, quem si legeris non dubito quin te prorsus delectet. Auctor, vir optimae existimationis in litteris latinis tradendis et scribendis, peritissimus que in Vergilio interpretando et convertendo, argumentum ex se facit. Opus dispergitur in tres partes: Introductio, Textus commentariis ornatus et appendix. En primae partis index: *Vergilii Troja* (p. 7-13); *Poëta* (p. 13-16); *Aeneis* (p. 16-25); *Poëmatis partes* (25-28); *Aeneidos transmissio* (p. 28-32); Ma-

nuscripta (p. 32-35); *Scholia* (p. 35); *Editiones* (p. 35-37); *Studia* (p. 37-38); *Lingua Vergilii poëtica* (p. 38-58) *Genus dicendi Vergilii* (p. 58); *Commentaria* (81-135) in ima pagina, optima sunt tum ratione stili, tum ratione historiae vel artis metricae. Liber absolvitur appendice (155-167), ubi de Vergilii fontibus, de imitatione, deque Vergilii inventione solide, sollerterque agitur. Hoc optimo libro corpus quod inscribitur «Classici Emerita», augescit, et est quod cl. v. Xaverium Echave Sustaeta maximis celebremus laudibus.

SCARRAT JOSEPHUS. — *Guida alla traduzione dal greco*, con antologia di brani tradotti ed annotati a cura di Bruno Zucchelli. S. E. I. Torino 1962, pag. 235.

Hoc opus eo consilio et fine a cl. v. Josepho Scarrat fuit compositum ut exemplaretur «la grave impreparazione degli allievi usciti dal Liceo classico a tradurre un brano dal greco anche di media difficoltà». In duas partes auctor dividit librum: quarum in prima illa exponuntur quae sunt linguae graecae propria. Non ergo agitur de syntaxi neque de elocutionis praceptis. Additur huic primae parti summa de grammatica Thucydidis—permultis exemplis ornata— quippe qui sermo Thucydidis haud paucas habeat difficultates. Altera libri parte colliguntur LXXX themata ex auctoribus graecis excerpta, quibus apponitur versio italica commentariis notata. Quae versio et notae a professore Brunone Zucchelli sapienter factae sunt. Opus utilissimo speramus fore alumnis adjumento.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

**ORAZIO.** *Liriche scelte e commentate*  
da Bartolomeo Calzaferri. Edi. Mi-  
nerva Italica, Bergamo 1962, pag.  
301.

Inter tot optimosque libros qui de Horatio poëta scripti sunt, hunc vobis perlibenter offerimus. Est enim XLVI Carminum et VI Epodon collectio quibus lectori praebetur «una visione sufficiente dei principali motivi ed aspetti dell' ispirazione di Orazio».

Unicuique carmini anteit introductio ubi de re metrica deque poëmatis condicionibus breviter tractatur. Quae poëmata explanantur uberrimis commentariis quibus facile alumni cormina Horatii ipsumque Horatii animum capere possint. Interpretationibus his magis auctor contendit facilem reddere conversionem quam notulas proponere aestheticas seu ad historiam vel geographiam spectantes. Quod revera optime cl. v. Bartholomeus Calzaferri consequitur.

**TACITUS CORNELIUS.** — *De vita et moribus Julii Agricolae liber*. Texto, introduzione, commento e versione di Vittorio D'Agostino. Biblioteca della Rivista di Studi Classici. Torino 1962, pag. 113.

Hoc opus, primum a Cornelio Tacito compositum, tanta fuit arte scriptum, tanta concinnitate, brevitate — brevitate illa Taciti immortali — et colore poëtico ut semper scriptores longe lateque per orbem magnopere allexerit qui ad hujus Taciti libri studium se conferrent. Hoc ergo libro cl. v. Victor D'Agostino — classicorum litterarum qui peritissimus est aëstimator — contendit non tantum Agricolae textum optimis notis et inter-

pretationibus instructum legendum præbere, sed etiam conversionem italicam — eamque pulcherrimam, rem haud facilem — offerre lectoribus ut hoc elegantissimo Taciti opere omnes facile uti possint.

Taciti scripto prædit *Introductio* ubi de vita, de operibus deque aliis ad Agricolam spectantibus singillatim disserit auctor. Liber typis nitidis et optima charta est editus. Qui liber nobis maxime placet eumque magistris et alumnis ex animo commendamus.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

**FORNI JOANNES.** — Taciti, *De Vita Julii Agricolae*, librum edidit, commentario instruxit et illustravit. Romae, in aedibus Athenaei, MCMLXII, pag. 284.

Inseritur hic liber nobili illi litterario corpori, cui nomen *Flos Latinatis*: quo latinorum auctorum excerpta, curante Hectore Paratore vulgantur. Rite alumnis latinitatis opus paratur, ratione hinc philologica, inde etiam historica ratione ab egregio viro Joanne Forni adhibita.

Utilis de scriptore Tacito bibliographica notitia libro prædit. Amplior consequitur, atque ea eruditione plena, introductio de stilo, notis, vita Cn. Julii Agricolae (pp. 13-74). Deinde latinus textus de Vita Julii Agricolae, multis adnotacionibus grammaticis, historicis, stilisticis (pp. 82-254) refertus. Commandandus etiam appendix de fontibus ad Agricolam pertinentibus et ad librum de Vita Julii Agricolae (pp. 261-280). Ac non nullis tabulis pictis illustratur opus; quae omnia studioso litterarum latinarum illud valde aptum efficiunt. Typis autem Pontificiae Universitatis Gregorianae, Romae, excusum ornatumque est.

A. MARQUÉS, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania  
2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollars.

ANN. X — (FASC. I) — N. 37

M. MARTIO

A. MCMLXIV

## DE EXERCITATIONE CORPORIS

Socrates dicere solitus est saltatione movendi corpus spatiose domo opus esse, ad exercendum sese; at qui cantu aut oratione sese exerceat, huic vel stanti vel accumbenti quemvis locum sufficere. Hoc dicto probabat moderatas exercitationes, praesertim a cibo sumpto, turbulentiores autem improbabat.

Neque levioris momenti sunt in hac re Platonis dicta, qui solebat admonere, ut neque corpus sine animo exerceamus, neque animus sine corpore, ut pariter utriusque curam geramus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. Lycurgus autem e certaminibus ea sola concesserat exercere in quibus manus non extenderentur in altum. Hujus praecepti causam percontanti: «Ne quis, inquit, illorum laborando, consuescat defatigari. Siquidem exercitia ad confringendum corporis robur adhibentur, non ad aequalandas vires. Qui vero subinde defatigantur in exercitationibus, quoniam imbecilliores veniunt ad labores necessarios, facilis deficiunt» (PLUT. in vita ejus).

Ergo, exercitationes corporis non erunt immodeiae, ceterum aptandae rationi valetudinis, in quo sequenda erunt medicinae peritorum consilia. Sic tamen, ne quid habeant turpe, immodesum, flagitosum; uno verbo, illa veterum sententia ante oculos jugiter habeatur: «ne quid nimis» in tota corporis exercitatione. Illudque mementote: reginam et principem rerum omnium esse virtutem cui reliqua omnia —et quidem corporis exercitationes—, si suo velint officio defungi, inserviant oportet.

PAEDAGOGUS

# TRES DICUNTUR LATRONES...

Tres dicuntur latrones, quibus nomina Halidor, Turtulus, Crepido erant, in quadam spelunca prope Romanam vixisse.

Halidor, vir acerbus et perditus, dux erat latronum. Quodam die Halidor sociis «Ibimus, inquit, in viam Appiam, nam senem senatorem, cui nomen Fabius, Capuam hodie iter facturum compertum habeo».

Latrones pugionibus armati ex spelunca exierunt et viam Appiam petierunt. Non diu illic exspectaverunt, nam paulo post veteris senatoris raedam appropinquantem viderunt.

Tres servi, qui Fabium comitabantur, strenue dominum defendenterunt, sed a latronibus una cum domino tandem interfecti sunt.

Cum in speluncam iterum advenissent, Halidor jussit Crepidinem ignem accendere et epulas potumque parare. Interea Turtulus et Halidor pecuniam, quam a Fabio surripuerant, diligenter numerabant, eamque maximam esse videbunt.

Tunc Halidor Turtulo «Occidamus, inquit, Crepidinem ejusque partem nos habebimus»...

Paulo post Crepido, sociorum icibus confossus, in terram cecidit.

Cujus corpus in lacum proximum proicerunt. Deinde, ut prandium sumerent, in spelunca sederunt.

Halidor lagoenam vini sumpsit, Turtulus aliam et uterque avide biberunt. Sed latrones repentino dolore correpti humi —inscii causae



mortis — exanimes ceciderunt.

Nam... Crepido sociorum necem molitus erat ut tota solus praeda potiretur. Quod ut assequeretur vino venenum admiscuerat...

Ita post mortem suos occidit improvidos amicos.

ANTONIUS LÓPEZ  
Barbastri.

# GAVIA ET EQUUS BIPES

Cf. VERG. *Georg.* 4, 389

(*La gaviota y el caballito marino*)

Ecquis cognitam gaviae albam vestem non habeat et pulcritudinem non demiretur? Alarum remigium<sup>1</sup> ipsi est plus solito longum acutumque, idque sub radice<sup>2</sup> candidum, sub extremo nigerrimum; pedes ejus tribus digitulis satis longis armantur membrana cohaerentibus, quibus ponere accedit parvulus, quo melius sedens consistat. Rubeum insuper rostrum quasi in falcem curvatur, quo praedam capiat veneturque pisces sub aqua maris aut fluminis natantes.

In editis rupibus, quae mari imminent, nidum exstruere consuevit, ex quibus alarum remigio innixa, altum mare pervalore atque lustrare defatigato minime volatu solita est. Ali quando etiam continentem petit camposque explorat ut in sulcis aratri vomere incisis vermiculos lumbrosque sibi comparet. Ipsa, neque itinere defatigata neque lassatis alis, maris interiora et terrarum secreta perspecta habet et credit quandoquidem paucis abhinc diebus rem mirandam atque inopinatam, dum fluctibus fertur atque refertur, repperit: pisciculum rarae magnitudinis, qui caput fluctibus ex mediis promens: salva sis, inquit, domina mea gavia; te incolmem invenire magnopere gaudeo atque laetor.

—Te quoque valere jubeo. Cedo, quis es tu? Quo nomine appellaris, dicio.

—Ille: ego sum maris incöla, et bipes equus nominor.

—Equus bipes? Insigne profecto

miraculum, inquit gavia vix risum continens. Quomodo id fieri potest? Equos ipse apprime novi in campis gestientes ac luxuriantes, aratrum quandoque et currus ferentes... nullam in te cum ipsis similitudinem invenio.

—Nullam dicas? Da mihi equorum speciem ac figuram.

—Illi ardua cervix, argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga; luxuriatque animosum pectus...<sup>3</sup>, hinnitus illorum tubas et sonos buccinarum tempore belli imitatur...

—Ut gauderem si eos casu cognoscere liceret!

—Minimo id negotio est! Id praesto erit si me eques concendere non timeas.

—Id fiat sine mora! respondit bipes.

Hinc videre est duos amicos longum iter inire per maria, per campos; illuc ubi ventum est, equus bipes germanos equos oculis conspicere potuit, sulcos insuper in quibus triticum radices agit ac succrescit, hominum domos, pistrina, arbores, pecudes et viros atros atque albos...

Ex quo tempore factum est ut gavia equusque bipes magna familiaritate usi, maris terrarumque itinera mira societate peragrarent ac metirentur. Via aliquando fessi, quieti parumper se dedunt, sermones multum temporis conserunt donec obreperit somnus; inde litoris rupes et nidulum tuto petunt et maris sinus ad proximum diem.

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.  
Bonis Auris.

1. movimiento, batir de las alas. — 2. fondo. — 3. cf. VERG., *Georg.* 3, 783.

## JOCOSA. — Ridete!

AEGER SANUS...

— Praecepit medicus ut medicinam post cibum vespertinum sumerem.

— Ecquid, medicinam fortasse nondum habes?

— Illam quidem habeo.., minime vero cibum vespertinum.

**Femina** in taberna diligenter inspicit tibialis —quae optima esse videntur— ut emat. «Haec tibialis, domina —monet tabernae rector— vere sunt primae notae. Accede —dicit administris— et si potest haec tibialis discinde».

Administer vero nesciens quid ei factendum sit. «Emere volumus —quaerit secreto a domino— an vendere?...».

— Quid tu ageres si dicerem:  
• Tu furcifer es!».

— Si hoc dices, te alapis contuderem.

— Et si hoc tantum tecum cogitarem?

— Tunc non darem alapas.

— Bene se habet. Hoc ergo tantum animo cogitavi.

## TRIANGULUS MAGICUS

1	2	3	4	5	6
1					
2					
3					
4					
5					
6					
1	Mirabilis	4	Deo Aegypti		
2	Versatur in	5	Conjunctio		
3	Plagae	6	Consonans		

## Duo Arcades Megaram veniunt

Cum duo Arcades iter una fecissent et Megaram venissent, alter ad caupōnem divertisse traditur, alter vero hospitio esse receptus.

Qui cum, cenati, requiescerent, visum esse in somnis ei qui erat ab hospite receptus alterum orare ut, subveniret quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primum perterritum, e somno surrexisse; deinde, cum se collegisset ac visum illud pro nihilo habendum esse duxisset, iterum recubuisse.

Tunc ei dormienti comitem visum esse rogare ut, quoniam vivo non subvenisset, mortem suam inultam non pataretur: se imperfectum in plastrum a caupone esse conjectum et supra stercus injectum esse; petere ut statim ad portam proximiorem adesset, priusquam plastrum ex oppido exiret.

Quo somno commotum, mane Arcadem bubulco obviam iisse; quaesisse quid esset in plastro; bubulcum perterritum fugisse, mortuum eratum esse; cauponem et bubulcum, re patefacta, poenas dedisse...

HENRICUS CAMBRA, e V c. Gymnasii

## Alumni epistulas inter se dant

Ad te, amice, prius litteras non dedi quia ferias aestivas apud meos egi.

Abhinc aliquos menses linguam russicam disco. Difficilis est quia Russi alium habent alphabetum. Scisne tu illam?

Habeo unum fratrem qui undecimum annum agit. Paucos abhinc dies in valetudinarium Croydoniae deductus est quia se vulneravit.

Exemplum antennae televisionis exstruxi. Antenna quinque pedes alta est.

Magister meus linguae hispanicae homines in Osca provincia cognoscit. Habitant Barbastri.

Vale. Meum nomen ita scribes:

JOHN C. (Carolus) KINNEAR

## Suum pro me sanguinem fudit

Regulus tribus afrae servum ob leve erratum capit is damnarat. Quod ubi missionarius, qui in eadem regione verbum divinum disseminabat, compērit, regulum crudelem adiit pecuniaeque vim obtulit, si seruo parceret. Indignatus ille: «Nec aurum tuum», inquit, «nec argentum, sed sanguinem malo», statimque uni ex militibus imperat, ut sagittam in ipsum servi infelis cor mittat. Paret miles, tendit arcum et sagitta missa per aera fertur. Eodem autem momento missionarius cito progressus bracchium pectori ad mortem destinati praetendit et sagittam volantem in manum dextram excipit. Tum dolore fortiter suppresso ad regulum consternatum vadit et: «Ecce crux rem», inquit, «effundo pro servo et jure optimo vitam ejus abs te postulo». Regulus tanta fortitudine tantaque humanitate victus respondet: «Ita est, ut dicis. Tuo enim sanguine redemisti. Tuus abhinc es tu». Servus a morte instanti liberatus se ad pedes missionarii abiciens cum lacrimis exclamat: «O homo albi coloris, tuo me sanguine redemisti, in perpetuum servus tuus ero». Fuit deinceps servus fidelissimus et adjutor nec umquam a latere ejus recessit. N. MANGEOT

*Servator Martínez, CMP. suo Joanni C. KINNEAR s. p. d.*

Litteras tuas accepi multumque ex iis laetus sum. Video te esse polyglottam cum linguam Russorum addiscere audeas.

Hoc anno deest nobis facultas discendi linguam anglicam, sed gallicam discimus.

Addiscisne musicam? Ego et clavichordium (angl. *piano*) pulso, et citharam hispanicam (*guitarra*) pulsare discere volo.

Mitto ad te photographiam quam a me postulasti.

Superiore aestate caeli serenitate fruebar, qua ipse fruēris insequentि anno cum in Hispaniam veneris.

Ut valet frater tuus?

In domo mea ferias aestivas egi, in vico meo qui in provincia valentiana est.

Nunc lingua anglica tibi scribam. Vale.

Barbastri, mense novembri.

## IN STATIONE

Viator tramine iter facere cogitavit; cum autem ad stationem venit, tramen abire videt.

— Quid hoc? — Iratus graviter praefectum stationis increpatur — tramen hora octava abire debet, et nunc tantum hora septima et dimidia est et jam abit...!

— Noli irasci, domine, hoc tramen — quod abit — hesternum est...

## AMICORUM LIBRI

— Re vera pulcherrimos habes libros. Rogo te ut unum mihi commodes.

— Indulgeas, queso, sed libri commodi, nunquam ad dominum redeunt... Nam, uti vides, ego hic habeo bibliothecam librorum commodatorum...

## QUADRATUM MAGICUM

	1	2	3
1			
2			
3			

1 Quid gignunt gallinae?

2 Quid fiet puer?

3 Quae sacra res?

## DE PSITTACO

Scitisne cur psittacus rostrum inferius deminutum habeat? Audite, lectores, si vobis placet, fabellam ut apud Guineenses narratur.

Quondam in eadem palma accipiter et psittacus vitam agebant. Ubi cibus eos deficiebat, alter ad quaerendum exibat, alter vero, ut filios custodiret, domi manebat.

Quodam die psittacus, more suo, causa cibi quaerendi, ad silvam se contulit. Accipiter data occasione, quia solus cum pullis in nido manserat, cum psittaci filiorum mirom aspiceret pulchritudinem, omnes arripiens, celeri volatu sub cavo saxo abscondit.

Domum psittacus rediens, cum pullos accipitris tantum, non suos in nido esse, miratus comperisset, ira motus, filiorum accipitris capita rostro ferire coepit donec omnes interfecit.


Postquam multo tempore, per silvas et valles, filios suos vocans advolaverat, eos sub saxo tristibus vocibus matrem suam vocare audivit... Laetitia plena omnes amicos — lusciniam, merulam, perdicem — ad saxum ore frangendum invitavit. Quae aves psittacum adjuvare animum induxerunt, ea tamen condicione ut ab eo omnes poenas exigent cuius rostrum laborando frangeretur.

Post longum omnium laborem, corvus tandem forti rostri ictu saxum in duas partes divisit. Quo psittacus, ne fidem frangeret, rostrum suum minutatim secuit inferius ut ex eo omnibus amicis distribueret. Minute quoque filiorum secuit rostra; multa enim erant officia et debita in amicos...

SEVERUS MOTO  
Alumnus Guineensis

Barbastri.

## SCALAE SUBLIMES



2 · 4	edendo
7 · 22	sacrificat
20 · 3	transferam
5 · 21 · 8	vínculum
1 · 9 · 10	compelli
18 · 19	aufero
4 · 15	armis
13 · 12	deus consilii <i>/deme-s</i>
16	conjunctione
11 · 6	boni
17	praefixum

*Invenit:*

PETRUS ANSUÁTEGUI

Si quae verba proponuntur in alia mutaveris et syllabas per numeros apte divisoris, verba Ciceronis in Catilinam inveneris.

Audi quae cogitat puer...

Quae est maxima egestas?

—Avaritia.

Quae dos pueris pulcherrima?

—Pudicitia.

Leve fit, quod bene fertur, onus.

Scientia non onerat, sed honorat.

Fuge magna.

Carpe diem.

Te consule.

Uni tibi vive;

nam mori tibi.

Dies vulnerat,

dies medetur.

Truditur dies die.

Cui des videto.

Praebet Victoria vires.



# MISCENTES UTILE DULCI...

## ALIENAE LAUDIS AUT VIRTUTIS AEMULI

*Alexander*, viso Achillis sepulcro, propemodum collacrimari coepit studio gloriae et aemulatione virtutis, eumque felicem praedicare, cui contigisset habere laudum suarum paeconem Homerum.

*Julius Caesar* cum venisset Gades, animadversa in Herculis templo Alexandri Magni imagine, ingemuit; et quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihil tum a se memorabile actum esset ea aetate qua jam Alexander orbem terrarum subegisset.

*Theseus* nihil majore voto studuit, quam Herculis imitari virtutem. Quod ut faceret, monstra plurima confecit in Graecia: Creontem tyrannum. Minotaurem bicorporem, et Centauros oppressit, Thebas domuit, ad inferos penetravit...

*Marcus Crassus* apud Romanos aemulus fuit rerum a Pompejo gestarum.

*Themistocli* Athenensi Miltiadis trophya somnum excutiebant.

*Salmoneus* apud Elidem Graeciae, et *Alladius* apud Albam Italiae Jovis fulmen et tenitrua mentiri et confingere voluerunt.

## PAEDAGOGUS

### AD SALTUM EQUI

FLU	ES	RE	VI	CUR	VI
IR	◆	UNT	RA	◆	TA
DI	PA	ET	DE	LIS	RIT

Invenit R. CARALT

*Triangulus magicus*

A L A N A  
L A V I  
A V O  
N I  
A

### SOLUTIONES

PAL. LAT., n. 184, p. 227 - 230 - 231 - 232.

PAL. ADUL., n. 36, p. 3 - 6 - 7 - 8.

*Scalae sublimes*

O - DI PRO - FA - NUM VUL - GUS ET  
AR - CE - O FA - VE - TE LIN - GUIS.  
(HORATIUS)

*Verba arcana*

EXSTO  
SUB  
ALO  
COLLI  
POTATIO  
NUMERO

*Verborum aenigma*

1 N A T A S  
2 A A I  
3 T I M E T  
4 U E U  
5 M A N U S

*Ad saltum equi*

Una est in nostris tua, Fidentine, libellis  
pagina, sed certa domini signata figura.

(MARTIALIS)



MEDICUS PRAESRIPTUM  
DAT...

—Dixi hinc medicinam aegro  
«guttatim» sumendam esse.

—Vae nobis! Nos intellexi  
mus, domine, illum medicinam  
«captim» sumere oportere...

FILIUS MATRI ..

—O bona mater, frater meus  
Josephus pessimus est, nam  
saepe me manibus tundit.

—Itane? nequaquam sed  
bonus, probus est...

—Cur igitur, si bonus, pro-  
bus, sanctus est eum in caelo  
superi non retinuerunt?..

INANIS RES...

—Quo igitur pacto misellus  
Paulus mortuus, est?

—Inani re: myopiae causa  
ex mala coctione.

—Sed qui fieri potuit?

—Planum id quidem: extre-  
ma anni nocte duodecim me-  
lones pro duodecim uvae aci-  
nts voravit...

P. GIL

Barbastri.

## SI SAPI..., SIS APIS

1. Vidi amitam, et vidisse piget, sed magna videndae,  
Postquam non nobis visa, Cupido subit.
2. Dum puerum nutris, gaudes nutricis honore,  
Ast ubi nutris, tunc eris ipsa nihil.
3. Sors et oliva vices pariter sortitur easdem:  
Prodiga nunc multum, nunc dat avara nihil.
4. Una aut bina dabit sanum tibi oliva saporem,  
Ast cave, nam mortem tertia forte dabit.

## NUM QUIS LINGUAM LATINAM AMAT?

MUSICA VULGARIS

VERBA S. F. JACK

A

B

C

Num quis lin guam la ti nam a mat?  
Ne mo ni si u nus ma gis ter  
qui si ne dubi o ca ret sa pi en ti a

# B I B L I O G R A P H I A

**MAIURI AMADEO.** — *Naples, Pompei, Herculaneum. Promenades en Campanie.* Traduit de l'Italien par Denise CRESCENZI. B. Arthaud, Paris, 1962, pag 276.

Tamquam totius orbis provincia Campania nuncupari potest, quippe quae neutrius culturae, graecae romanaeve, sit propria, sed omnibus studiosis artium pateat. Quae innumeris monumentis referta, ut regio singularis, animi recreandi causa, ipsa natura constituitur.

Lepido hoc volumine clarus scriptor A. Maiuri id in hospites et lectores proponere et palam facere intendit. Ibi ludi, cultus et humanitas, poësis amabile consortium habuere. Ibi vergilianum epos floruit; ibi Tiberii gloria explicit, ibi Hannibal facinora; ibi monumenta in primis saeculorum tragica, —Pompeji et Herculaneum— visitationis studiique digna.

Quae omnia auctor libri evocare intendit, idque ingenio et eruditione summa sapientis historici. Vere libri quasi deambulatio est per Campaniam. Sermo amoenus; narratio nitida; heliopicturae, octo et triginta numero, optimae et selectae. Hoc libro vera redditur vatis Venusini vox: «Miscuit utile dulci».

**A. CESAREO, GIUSEPPE.** — *Euripide: Ifigenia in Aulide.* Società Editrice Dante Alighieri, (Albrighi, Segati), 1962 Milano, pag. 174.

«TRADITIO» est novum corpus classicorum graecorum et latinorum a Domo Editrice «Dante Alighieri» confectum; in quo insignes Professores alumnis lycei classici meram humanitatem, serie libro-

rum, tradere voluerunt. Cui collectioni parandae praeeunt praeflari humaniorum litterarum Professores R. Cantarella et B. Riposati.

In serie graeca eminent opus clari viri J. A. Cesareo *Iphigenia in Aulide*. Quae est probabilius ultima tragodia euripidea Athenis conscripta. De carminis historia atque vicissitudinibus, eruditius in introductione notaque bibliographica (pp. 310) agitur.

Praemissa vero compendiosa totius tragediae explicatione, graecus accuratissimus textus exhibetur, selectis annotationibus locupletatus, de grammatica, rhetorica, historia, archaeologia. Eruditione, perspicuitate, ingenio commendantur clari magistri graecitatis commentarii.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**EVWARD, ETIENNE.** — *Textes latins authentiques, à l'usage des classes de sixième et de cinquième.* A. Cl. Lg. 39, rue Reynier, Liège 1963, pag. 66.

En tibi tertium opusculum in corpore «Travaux de l'Association des Classiques de L'Université de Liège». De brevi florilegio agitur textuum latinorum «authenticorum». Clari quidem auctoris sententia, «il répond ainsi à une exigence des récentes Instructions méthologiques».

In ampla scitaque introductione, professor Evrard disserit, cum de notis, tum de genesi hujus modi selectionis; deinde sequuntur textus latini authenticici; Roma et «mundus antiquus»; Sapientia pristinarum gentium; indices. Mole quidem parvus, lepore vero sollertiaque libellus hic refertus.

PHILOPONUS, C. M. F.

**GIGANTE M. - PRESTA A.** — *Antologia della letteratura greca L'Età Ionica*. Casa Editrice G. D'Anna, Messina-Firenze, pag. 292.

Hoc primo volumine Anthologicon litterarum graecarum de una agitur aetate ionica. Clarus Professor M. Gigante scriptores paravit: Archilocus, Callinus Tyrtaeus, Simonides, Solonem, Mimnernum, Sappho, Alcaeus, Anacreonem, Hippoactem, Theognidem, Xenophanem; Professor vero A. Presta cetera scripta Homeris, Homeris minoris, Hesiodi ejusque scholae, Alcmaeonii, Arionis, Stesichori, Ibyci, philosophorum, logographorum, Aesopi.

Auctorum horum Anthologicon litterarum graecarum propositum in eo est ut amplum selectumque conspectum, sermonis soluti tum versu ligati, de litteris pristinorum hellenicorum exhibeant.

Accuratio indicis ope, varia argumenta facile captantur. Atque unicuique selectionis parti, interpres ceteraque criticae notae sedulo adjunguntur. Processus vero selectionis rationi rei logicae et historicae maxime conformatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

**DEL ESTAL, GABRIEL.** — *La «Orestiada» y su genio jurídico. Justicia de sangre y espíritu urbano*. Biblioteca «La Ciudad de Dios». El Escorial, pag. 512.

Opus hoc Patris G. Del Estal collationem dices in rem scientiarum, a tragœdia usque ad historiam philosophiae juris, religionis, Societatis in primordiis pristinarum gentium. Argumentum conditum est duce Aeschylō in Orestiade.

Lucubratio critica, in fontibus enucleandis sane laboriosa; ima textuum analysi, locuples, lectu vero jucunda.

Prologum de re pereruditum clarus scriptor Josephus Camón Aznar eidem præmolitus est. Cujus haec vox: «La obra de Gabriel del Estal no se limita al estudio de la Orestiada, sino a su ejemplaridad y versión en el mundo cristiano».

Et commendatur opus selecta bibliographia atque ea amplissima (pp. 401-412). Indices commodiorem faciunt librum; ibi index analyticus rerum, onomasticus auctorum, singularis aeschyleus, textualis biblicus, lexicographicus vocabulorum graecorum, denique ordinalis index (pp. 443-512). Jure merito «Biblioteca La Ciudad de Dios» volumine hoc, seriei ordine quinto, honestatur et locupletatur.

**HAGELSTANGE, RUDOLF.** — *Roemische Olympia. Kaleidoskop eines Weltfestes*. Mit 42 Illustrationen von Helmut Bivow. R. Piper et CO Verlag, Muenchen, pag. 236.

Quasi novum in campo litterarum thema hoc libro nobilis Germanus scriptor adgreditur, quo quidem legentium animos delectare humaniorum litterarum cultu intendit. Varia hujus modi libri argumenta vere cum subinscriptione consonare dicas: «Kaleidoskop eines Weltfestes».

Nova et vetera, vera et ficta, cultiore de calamo manantia, hic jucunde commiscentur, quibus animus doceatur, mens delectetur, bonarum litterarum curiosus in conscribendo instituatur atque perpoliatur. Et aliae lepidae narrationes scriptoris Hagelstange apud domum Editricem R. Piper editae sunt, ut «Es Steht in unserer Macht», «How do you like America?», «Das Lied der Muschel». Alia quoque litterariae artis opera ab egregio scriptore facta sunt.

PHILOPONUS, C. M. F.